BIBLIOTECA CENTRAL

prias, juriſdictionem exerceant, non extra eas poſſunt pallio uti, cum pallium ſit ſymbolum exercitii juriſdictionis: quæ ratio illuſtratur ex alia myſtica, quam innuit Innocentius *in c. unico, in fine, de ſacra unctione*, quam ibi illuſtramus.

8 Diſſolvitur difficultas. Nec obſtat difficultas ſupra adducta, ex variis juris principiis petita: nam licet in illis caſibus, quæ a Pontifice fieri poſſunt, ab Archiepiſcopis exerceri valeant, non tamen inde deducitur, nec Catholici admittere valemus, æqualem obtinere poteſtatem Archiepiſcopos in partem ſolicitudinis vocatos, ac habet R. Pontifex in plenitudinem poteſtatis aſſumptus; quare licet judicare Epiſcopos, Paſcha nuntiare, Concilium provinciale celebrare poſſint Archiepiſcopi, non tamen pallio, ut R. Pontifex, ſemper, & ubique uti valent.

9 Exponitur c. in Galliarum 25. qu. 2. Sed ſupra dictis opponitur textus *in c. in Galliarum 25. q. 2.* ubi cum Gregorius Magnus Bonifacium Archiepiſcopum, & Primatem Angliæ conſtituiſset, expreſſe cavit, ne in Galliarum provinciis aliquam vindicaret poteſtatem; quia in eis jus deferendi pallium Arelatenſi Præſuli conceſſum erat, & ſic omnimodam poterat exercere juriſdictionem in illis provinciis. Qui textus valde difficilis eſt, præcipue ſi conferatur cum capite *Artaldus* 8. *q.* 1. in illis verbis: *Artaldus Arelatenſis Epiſcopus, Narbonenſis Eccleſiæ ſuffraganeus*. Ex quibus expreſſe conſtat, Arelatenſem Præſulem tantum Epiſcopum, & ſuffraganeum Narbonenſis Eccleſiæ eſſe; & tamen *in d. c. Galliarum*, deciditur, per Galliarum provincias poſſe eum pallium deferre: igitur quia non ſolum Archiepiſcopi, verum etiam Epiſcopi, quibus conceſſus eſt uſus pallii, poſſunt illud deferre etiam extra provinciam propriam. Pro hujus textus interpretatione ſciendum eſt, Arelatenſem Præſulem non ſolum Archiepiſcopi titulo, verum & Primatis & Vicarii R. Pontificis decorari. Concilium Arelat. 2. *can.* 8. Nicolaus *in ep. ad Michaelem Imperatorem*, ibi: *Arelatenſis Eccleſia in regionibus Gallicanis Primatis privilegio, & Sedis Apoſtolicæ vicibus decoratur*. Late probant Anton. Aug. *in ep. l.* 2. *tit.* 12. Hallierius *de hierarch. eccleſiaſt. pag.* 597. *cum ſequentibus*; unde tamquam Primas totius Galliæ, & Vicarius Pontificis, poterat pallium deferre in prædictis provinciis, ut docet Petrus Marcha *l. 6. concord. c. 7.* Nec tunc obſtat textus *in d. c. Artaldus*, in quo omiſſa ſolutione Gloſſæ, *verbo Galliarum, in d. c. in Galliarum*, loco illius verbi: *Arelatenſis*, reponendum eſt *Alectenſis*, qui Epiſcopatus ſuffraganeus eſt Narbonenſis Eccleſiæ, quod leve mendum in eo textu jam obſervarunt Joannes Andreas *in notis ad Speculatorem, in noſtro tit. littera B*, Chenu *in ſerie Præſulum Arelat. in principio*.

10 Exponitur c. de ſimonia. Secundo adverſus præſentem deciſionem intendam probare alios etiam, præter Archiepiſcopos, poſſe pallium deferre: & ut id adſtruam, expendo textum *in c. 1. de ſimonia*; ubi cum prohibeatur Epiſcopis pretium recipere pro ordinatione Clericorum, proſequitur, nec pretium recipi poſſe pro uſu pallii, chartis, ſeu paſtellis: ex quibus verbis depromitur, clericos etiam habere jus deferendi pallium; ſiquidem ſimul, & una verborum contextura prohibetur pretium recipere pro eorum ordinatione, pro uſu pallii, & pro chartis: igitur quia non ſolum Pontifex, & Archiepiſcopus, verum & ſimplices Presbyteri poſſunt pallium deferre. Pro hujus textus expoſitione ſciendum eſt, conſuetudine, ſeu potius corruptela introductum eſſe, ut pro pallio Archiepiſcopi Subdiaconis Pontificis, vel ejus Aprocriſiariis certum pretium erogaret, *c. novit.* 100. *d. c. ſicut, c. nullus*; 1. *q.* 2. quare ut Gregorius hanc conſuetudinem radicitus evelleret, dum pro ordinatione Clericorum, & aliis actibus Eccleſiaſticis pecuniam recipi prohibuit, conjunxit, nec pro pallii uſu; non quia pallium ſacerdotibus concederetur, ſed potius Archiepiſcopis: quare ſi in eo textu ſingula ſingulis tribuantur, ordinatio ad Presbyteros; pallii vero uſus ad Archiepiſcopos ſpectabat. Alia quæ pro illius textus interpretatione deſiderantur, in ejus commentario, Deo annuente, dabimus; interim videndi ſunt Mancinus *diſſertat.* 28. Spondanus *anno* 745. Lemaiſtre *de juribus Epiſc. lib.* 2. *capit.* 5. Voſſius *de vitiis ſerm. capit.* 33. Hallier. *de ſacris elect. ſect. 7. art. 7. §. 2. & 5.* Rouſſelius *lib. 5. hiſtor. c. 4.*

Tertio in eamdem partem expendo textum *in c. præſens* 20. *q.* 3 ubi proponitur, Athonem Clericum duo monaſteria conſtruxiſſe, & in uno Lambertum ejus filium nonum annum tantum agentem obtuliſſe: & cum fratres ejus totam patris ſubſtantiam, ſive hereditates in integrum ſibi vindicarent, excluſo fratre ut monacho, ipſe oblatus opponebat, monachum non eſſe, & invitum a patre oblatum fuiſſe. Pater autem fatebatur, nunquam ejus filium pallium induiſſe. Hactenus illius textus caſus, ex quo aperte probatur, alios quam Archiepiſcopos poſſe pallium deferre. Pro cujus textus interpretatione ſciendum eſt, in eo mendum ſcatere; loco enim verbi *pallio*, legendum eſt, *palla*: palla enim eſt pannus lineus, qui ſuper altare ponitur, de quo *in c. altaris palla, de conſecr. d. 1. c. 2. de cuſtodia Euchariſtiæ*, Ant. Aug. *in epitom. l. 17. tit. 2.* & nos ſupra *in c. 2.* Qua lectione retenta ſciendum eſt, moris fuiſſe olim, ut qui religioni offerebantur, palla Altaris induerentur, ut notat ibi Turrecremata, & nos diximus *in c. 2. de conſ.* unde cum pater ipſius Lamberti aſſeruiſſet, filium ſuum propria voluntate Religioni non obtuliſſe, ſubjunxit: *Nec ego pater ejus palla Altaris indutum illum obtuli*. Quare textus ille non loquitur de pallio; & ſi de eo acciperetur, non de pallio Archiepiſcopali, ſed monaſtico, aut vulgari intelligendus erat. De quo etiam agitur *in c. clerici* 15. *de vita & honeſt. Cler. c. 2. de maledicis*. 11 Explicatur c. præſens 20. q. 1.

C A P U T V.

Idem a *Compoſtellano Archiepiſcopo*.

EX tuarum tenore litterarum accepimus, quod cum fuerit in conceſſione pallii tibi dictum, ut ipſo infra *b* Eccleſiam tuam utaris; & tibi pro Eccleſiæ tuæ negotiis frequenter extra tuam provinciam commoranti verecundum ſit abſque pallio miniſtrare (cum conſuetudo ſit in Hiſpania generalis, quod Archiepiſcopi extra ſuas proinvcias pallio indifferenter utantur) ut extra tuam provinciam uti pallio valeas, indulgeri tibi a Sede Apoſtolica poſtulaſti. Licet autem talis conſuetudo dicenda ſit potius corruptela: Nos tamen de ſpeciali gratia indulgemus tibi, ut ſi neceſſitate aliqua præpeditus ad Eccleſiam tibi ſubjectam accedere forte nequiveris pro conſecrandis ſuffraganeis tuis, vel Clericis ordinandis, & ad Eccleſiam alienam propter hoc te contigerit declinare, dummodo ad quem Eccleſia pertinet, id *c* permittat, utendi pallio in jamdictis caſibus liberam habeas facultatem.

N O T Æ.

1 a *Compoſtellano*.) Irienſis civitas in regno Galleciæ, quæ nunc dicitur *el Padron*. Sedes Archiepiſcopalis erat jam a primis Eccleſiæ temporibus, Bracharenſis Eccleſiæ ſuffraganea: ſed temporibus Alphonſi, vulgo *el Caſto*, Regis Hiſpaniarum, ea Sedes Epiſcopalis translata fuit in Compoſtellam, ubi eſt corpus Apoſtoli Hiſpaniarum Patroni: translata fuit temporibus Theodomiri Epiſcopi Irienſis. In eam etiam Compoſtellanam Eccleſiam translata eſt Metropolis Emeritenſis a Calixto II. precibus Alphonſi VII. Imperatoris nuncupati, ut referunt Baſſeus *in chron. anno* 877. Illeſcas 1. *hiſt. Pontif. l. 5. c.* 18. Morales *l.* 10. *hiſtor. c.* 12. Sandoval. *in hiſtoria Alphonſi, c.* 12. Baronius *t.* 12. *anno* 1123. *n.* 1. Vargas *in hiſtoria Emeritenſi*, qui tradit bullam prædictæ translationis, Guilo Gonzales *in theatro prædictæ Eccleſiæ Compoſt.* Ex tunc ergo Compoſtellani Præſules Archiepiſcopalis fulgent dignitate. Ejus Archiepiſcopo Petro Suarez, prius Epiſcopo Salmantino, miſſa eſt hæc deciſio, cui etiam reſcripſit noſter Innoc. *in c. 2.* (ubi alia de hac Eccleſia adducimus) *de poſtulando, c. ſuper eo, de cenſibus, c. propoſuiſti, de conſecrat. Eccleſiæ, c. & ſi neceſſe eſt* 5. *de donat. inter*, & *l. 2. ep.* 72. ejus etiam Eccleſiæ mentio extat *in c. 3. de vita, & honeſt. Clericorum, cap. 1. de voto in 5. collectione*.

b *Infra Eccleſiam*.) Ut dixi *in c. 3. hoc tit.*

c *Permitat*.) Non enim licet in aliena diœceſi, aut Clericos ordinare, aut publicas Miſſas dicere, ſine permiſſu proprii Paſtoris, *in c. nullus, de Parochiis*, dicemus *in c. 1. de clericis peregrinis*. 2

C A P U T VI.

a Idem.

CUM ſis in partibus remotiſſimis, gratum gerimus, & acceptum, quod in actibus tuis, quotieſcumque ſcrupulus dubitationis emergit, etiam. *Et infra*: Noveris igitur, quod ubi expoſcit neceſſitas, & plura in una Eccleſia Altaria, & plures Epiſcopos ſimul poteris conſecrare: & ubicumque fueris in celebratione *b* Miſſarum conſtitutus, diebus ſolemnibus uſum pallii, per quod plenitudo Pontificis deſignatur, liberius exercere.

N O T Æ.

1 a *Idem*.) Ita etiam legitur *in c. 1. hoc tit. in 4. collectione* cui autem miſſa ſit hæc epiſtola, non conſtat. Alia etiam ejus reperitur *in capit. cum ſis, de conſecrat. Eccleſiæ*.

b *Miſſarum*.) In Miſſarum enim celebratione conſecratione Epiſcoporum, & Eccleſiarum dedicatione, Archiepiſcopus pallio uti poteſt, *c. quod ſicut* 28. *§. ceterum, de elect.* Greg. Pontifex *in epiſt. ad Bonifacium*, ubi de pallio ita ait: *Qualiter autem eo utaris, ex mandato Apoſtolico informatus cognoſce; itaque dum Miſſarum ſolemnia geris, vel Epiſcopum te contigerit conſecrare, illo tantummodo tempore eo utaris*. Sed quia hæc omnia inter Miſſarum ſolemnia celebrantur, ideo licet plerumque dicatur in epiſtolis decretalibus Pontificis, Archiepiſcopos uti debere pallio dumtaxat in Miſſarum ſolemniis; non negatur tamen in omnibus ſupradictis actibus inter Miſſarum ſolemnia peragenda pallio uti poſſe; quo modo intelligendi ſunt noſter textus, & Gregorius II. *l. 2. ep.* 54. in illis verbis: „ Illud tamen, frater chariſſime, tibi nonputavimus ignotum, „ quod pene de nullo Metropolitano in quibuslibet mundi „ partibus ſit auditum, extra Miſſarum ſolemnia uſum ſibi „ pallii vindicaſſe. *Idem l. 7. ep.* 31. Itaque pallio ad Miſſarum ſolemnia utendum ex more tranſmiſimus. *Et ep.* 114. „ ad Siagrium, *ibi*: Uſum tibi pallii inter Miſſarum ſolemnia agenda concedimus. *Urban. II.* in ep. ad Bereng. Auſon. Epiſcopum, *ibi*: Pallio itaque Miſſarum ſolemniis intra Eccleſiam ſolummodo uti debetis. “ Ubi Vicecom. *d. t. 4. l. 4. c.* 27.

C A P U T VII.

a Honorius III. *Archiepiſcopo* b *Lugdunenſi*.

TUA nos: *Et infra*: Inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quod tam in tua, quam in *c* aliena diœceſi potes abſque pallio, & *d* ſandaliis celebrare; quum etiam in tua diœceſi non ſemper debeas celebrare cum pallio, ſed diebus illis dumtaxat, qui in Eccleſiæ tuæ *e* privilegiis ſunt expreſſi: ſicque ſoluta eſt quarta quæſtio, qua quæſiſti, an tibi ſit licitum *f* pro defunctis cum pallio celebrare.

N O T Æ.

a *Honorius*) De Honorio egi *in c. penult. de conſtit.*

1 Lugdunum ubi. b *Lugdunenſi*.) In hac ſexta collectione legitur *Tripolitano*, de qua diœceſi egi *in c. petiſti* 20. *de privilegiis*: ſed veram inſcriptionem, & litteram reſtituto ex quinta compilatione Honorii III. ubi *ſub hoc ti. c.* 1. reperitur textus hic. Lugdunum illuſtris Metropolis Galliæ vocatur ab Strabone; ejus meminerunt Plinius *l. 4. c.* 18. Dio *l.* 46. Sidonius *l. 1. ep.* 5. & plura de ejus nomine, origine, & progreſſu congeſſerunt Fratres Sarmat. *t.* 1. *Galliæ, f.* 289. Ejus Præſul Patriarcha vocatur in Conc. Matiſc. & a Gregorio Turoneu. ejuſque Primatus deſcribitur in ſupplemento Sigeberti. Hæc Sedes habet Primatum ſuper tres Archiepiſcopatus. Plura de ejus Primatu Betherius *diatriba 2. c. 5.* Petrus Marcha *in tr. de Primatu Lugd.* Theophilus *t. 1. eod. tr.* Raynaldo ejus Archipræſuli reſcribit Pontifex in præſenti.

c *Aliena*.) Juxta tradita in ſuperioribus commentariis.

2 d *Sandaliis*.) Omiſſis aliis ſignificationibus, ſandalia accipiuntur pro calceis, ſeu compagibus calceamento deſtinatis, tam apud profanos, quam ſacros ſcriptores. Ex profanis earum meminere Lucianus *de ſcrib. hiſt.* Strabo *l.* 9. Nabathæus, & alii laudati a Barthio *l. 9. adverſ. c.* 11. Pancirola 1. *var. c.* 20. Bulengerus *l. 1. opuſc. c.* 20. Ex ſacris Gemma animæ *c.* 209. *Sandalium calceamentum* eſt, *qua partim pes tegitur, partim nudus cernitur*. Albinus Flaccus *l. de divinis officiis, c. quid ſignificent veſtimenta*, Rabanus Manus *de inſt. cler. l. 1. c.* 22. *Induunt quoque ſacerdotes pedes ſandaliis, ſive ſoleis*. Alii relati a Vicecomite *l. 3. vol. 4. de ritibus Miſſæ, c. 6. cum ſeqq.* Sauſay *in Panop. Epiſcop. l. 7. c.* 3. Olim communia erant ſandalia, tam majoribus, quem minoribus Eccleſiæ miniſtris; poſtea tamen ad ſolos Epiſcopos pertinent. Innoc. III. *l. 1. de myſteriis Miſſæ, c. 10. Novem autem ſunt ornamenta Pontificum ſpecialia, videlicet caligæ, ſandalia, ſuccinctorium*, &c. late probant Vicecomes, & Sauſay *ubi ſupr.* Meurſius *in gloſſa verbo Compagi*.

e *Privilegiis*.) De quibus egi *in c. 1. c. ad honorem, hoc ti.*

f *Pro defunctis*.) Supponit Honorius III. Miſſarum ſacrificia pro defunctis licite, & proficue offerri poſſe; quod etiam docetur *in c. animæ 13. qu. 2.* Conc. Turon. 2 *c.* 23. Quod contra hæreticos purgatorium negantes, & fructum oblationum pro defunctis, defendunt Bellarminus *de purgat. c.* 15. Ayala *de Eccleſ. tradit. f.* 150. Pamelius *ad D. Cyprianum ep.* 66. Scortia *in ſelectis, c. 33. theſi 96.* Petrus Greg. *l. 1. par. tit. 23. c. fin.* Gazeus *ad Caſſianum coll. 2. c. 5.* Creſpetius *in ſumma, verbo defunctis fidelibus*, Jodocus Coccius *l. 7. theſauri, art. 5.* Ait ergo Honorius noſter, in hujuſmodi ſacrificiis pro defunctis offerendis Archiepiſcopus non debere pallio uti; tum quia hujuſmodi dies non reperiuntur expreſſi in forma traditioni pallii, ſeu privilegiis Eccleſiæ conceſſis: tum quia in his diebus, & exequiis, indumentis rubris, aut lætitiam demonſtrantibus Eccleſia uti non ſolet; quam rationem illuſtrant in præſenti Cironius, & Gerrea *in origine divini officii, l. 1. c.* 39. 3

T I T U L U S IX.

De Renuntiatione.

C A P U T P R I M U M.

Alexander III. a *London. Archiepiſcopo*.

LItteras tuas nuper accepimus devotione plenas, & dolore non vacuas, quæ quidem, & tuam nobis inſinuant affectuoſiſſimam charitatem, & tui Archiepiſcopalis officii, quod fideliter geſſiſſe, & adhuc gerere te gaudemus, contrariam exigebant Eccleſiæ utilitatibus ceſſionem. Noſti enim, ſicut vir prudens, & providus, quod tanta eſt Cleri malitia, & contra Eccleſiam Dei tam gravis, tamque diuturna perſecutionis inſtantia, ut nequaquam ei cedat ad commodum, ſi tuam Sedem talem contigerit ſubire defectum. Quod ſi tuam, aut ſenectutem, aut inſufficientiam forte conſiderans, te tamquam *b* emeritum poſtulas relaxari, ſcito nos credere, & pro certo tenere, quod tutius ſit hoc tempore, ſi commiſſa tibi Eccleſia ſub umbra tui nominis gubernetur, quam ſi alteri novæ, incognitæque perſonæ in tanto diſcrimine gubernanda committeretur; maxime quia in te vigor devotionis, & fidei, etiam corpore ſeneſcente non deficit, ſed vergente deorſum conditione corporea, fervor ſpiritus in ſublimiora conſcendit. Ne igitur hujus doloris aculeus vividam circa te noſtri pectoris vulneret charitatem, rogandum te potius duximus, & monendum, ut ſuper hoc diebus iſtis nulla te facias importunitate moleſtum. Quia indecens omnino probatur, prius ſolvere militiæ *c* cingulum, quam cedat victoribus adverſitas præliorum. Inſta igitur, ſicut bonus miles Chriſti, & in tuæ ſolicitudinis officio perſevera; ne dum tuæ quietis deſideria quæris, tu aliquod talenti tibi crediti detrimentum patiaris. Illud quoque te oportet attendere, quod ſi pennas habeas, quibus in ſolitudinem volare ſatagis, ut quieſcas; ligatæ ſunt tamen nexibus præceptorum, quæ ita, ut noſti, & ſacrorum canonum inſtitutione te vinciunt, ut liberum non habeas abſque noſtra permiſſione volatum. Ceterum ne, frater, te intolerabiliter nos gravare cauſeris, qui melius tui potes tam animi debilitatem noſſe, quam corporis; hoc tandem tibi, ſi judicio conſcientiæ tuæ res id prorſus exigit, indulgemus, ut ſi ſuſcepta opportunitate, tam per te, quam per *d* Principem terræ, vel etiam per litteras tuas, & idoneos nuntios, ſi corporalem ibi vel non potueris, vel nolueris exibere præſentiam, alioſque regni illius religioſos, & induſtrios de *e* ſubſtituenda ſis perſona ſolicitus; talem invenire ſatagas ſucceſſorem, qui non a fidei claritate degeneret, neque a tramite rectitudinis, & honeſtatis aberret. De his quoque quæ tuis duxeris neceſſitatibus reſervanda: cum eiſdem perſonis tractare, & deliberare convenit: ut cum nobis hæc omnia, tam tua, quam illorum fuerint aſſertione comperta, ita provide, ac ſecure poſſimus in facto procedere, quod neque nos, nec teipſum oporteat hujus operis impoſterum pœnitere.

N O T Æ.

1 a *Londonienſi*.) Ita legitur in hac ſexta Raymundi collectione, in prima autem, *ſub hoc tit. c. 2.* legitur, *Archiepiſcopo Lundenſi*, quæ epigraphe propria hujus textus videbitur lectori, qui obſervaverit, Andream Sunonis Archiepiſcopum Lundenſem adverſa valetudine captum, vitæque tædio, & ærumnis afflictum, licentiam cedendi a R. Pont. enixe petiiſſe,

& ea obtenta, ſemotum a populi frequentia, Iſtoam inſulam apud Scannenſes, in medio dulcis aquæ, in laca amœno ſeceſſiſſe; ob cujus renuntiationem variæ circa ſucceſſoris electionem ortæ fuerunt controverſiæ, ut liquet *in c. cum poſt petitionem, de elect.* & ex Danicis Scriptoribus refert Cironius *in notis ad illum textum, in 5. comp.* & nos ibi notabimus. Verum etſi hæc circa Archiepiſcopum Landonienſem contigiſſent, tamen præſentis textus hiſtoriæ adaptari nequeunt, cum ſeries temporum non patiatur prædictum caſum ad hunc textum protrahere: nam præſentis textus auctor eſt Alex. III. Quomodo ergo Andreas, qui ob ſenectutem ab Alex. cedendi licentiam petebat, potuit vitam agere, & protrahere uſque ad Honorium III. illius textus auctorem, cum ab Alex. III. ad Honorium pluſquam quadraginta anni elaberentur; & ſic, qui jam ſenex erat tempore Alex. III. non poterat ita in longævum vitam ducere. Hac igitur rejecta inſcriptione exiſtimabam, ita corrigendam eſſe: *Lugdunenſi Archiepiſ.* ut in aliquibus codicibus legi teſtatur Ant. Aug. *in notis ad hunc textum, in 1. coll.* Quod leve mendum ut ſuadetur, ſciendum eſt, Joannem de Bellesmain Archiep. Lugdunenſem, jam ſenem ab Alex. III. cedendi licentiam petiiſſe, quam licet ab eo conſequi non poſſet, ut in præſenti textu refertur, a Cæleſtino tamen III. eam impetraſſe, & vitam monaſticam profeſſum, in monaſterio Clarevallis orationi, & contemplationi vacaſſe, cui poſtea reſcripſit Innocentius *in c. cum Marthæ, de celebrat. Miſſar.* Ejus meminerunt Joannes Saresbarienſis, Stephanus Tornacenſis, & Ivo Carnotenſis *in ſuis epiſtolis*, & varia de eo referunt Fratres Sam. *t. 1. Galliæ Chriſt. f.* 320. Chenu *in ſerie Præſulum Lugd.* Cironius *in d. c. cum poſt*; & de eo, ni fallor, in præſenti agit Alex. De Eccleſia Lugd. jam egi *in c. ant.* etſi textum hunc de Lundenſi Metropoli accipiat Florens in præſenti. Poteſt etiam præſens textus referri ad renuntiationem factam ab Eskillo Lugdunenſi Archiepiſcopo, qui ab Alex. III. petiit licentiam cedendi, ut ad Ciſtercienſes Monachos ſe transferret; quam iteratis precibus impetravit, ut refert Saxo Grammaticus *l.* 14. Videndus P. Cellenſis *l. 1. ep.* 23. & *l. 7. ep.* 17. & *l. 8. ep. 1.*)

b *Emeritum.*) Qui militant, ſtipendia mereri dicuntur, *l. miles, l. item miles, ff. de re judicata, l. un. C. de his qui non impletis ſtipendiis*; inde emeriti milites, jam veterani, ſtipendia merentur, ſoluto militiæ cingulo, & expleta militia, *l. deferri, ff. de jure fiſci, d. l. ult. C. de his qui non impletis, l. veteranis, C. quando provocare*: notavit Steubechius *ad Vegetium l. 2. de re mil. c.* 3. unde in noſtra Hiſpania erat civitas colonia Romanorum, ubi milites emeriti degebant, a quibus civitas Emerita dicta fuit, *l. 1. & fin. ff. de cenſibus*, Diocaſſius *l.* 53. ibi: *Finito bello Auguſtus milites exauctoravit, urbemque eos in Luſitania Auguſtam Emeritam nomine condere juſſit.* Vaſeus *in chr. c.* 12. Nunnez *in ſua Hiſpania, c.* 1. Morales *l.* 8. 54. Mariana *l. 1. hiſtoriæ, c.* 4. plura de hujus civitatis, valgo *Merida*, origine, & progreſſu, tradunt Vargas *in ſua hiſtoria Emeritenſi*, Tamayo *in martir. Hiſp. die ult. Martii*.

c *Militiæ cingulum.*) Eleganter Innocentius collationem facit, & parallelum deducit a militia terreſtri ad cæleſtem; milites enim dum militiæ nomen dabant, cingulum accipiebant, ſeu baltheum, quod durante militia deferebant: ejus mentio fit *in l. Titius 25. l. quod dicitur §. 1. l. penul. ff. de teſt. militis, l. 2. §. ignominia, ff. de his, qui notant infamia, l. quicumque, §. nullum, C. de hæreticis, l. pen. C. de pactis, l. ul. C. de juriſdictione, l. 2. C. ubi ratiociniis, l. ul. C. de poſt. in Theod. l. eos 27. §. ul. ff. ad leg. Corn. de falſis*: plura Briſſonius *l. 2. ſelect. c.* 7. Pancirola *lib. 1. var. c.* 12. Steubechius *ad Vegetium l. 2. c.* 3. Budeus *in l. fin. ff. de Senatoribus*. Qui autem militiam explebant, diſcincti dicebantur. Steubechius *ubi ſup.* Hinc factum translative, ut dignitatis, & honoris inſignia etiam aliorum, quam militum dicantur cingulum, *l. 2. C. ut ordo dign. l. omnis, C. de metallis, l. pen. C. de pactis, c. nulli* 8. 11. *q.* 2. in Eccleſiæ etiam politia ejuſdem nominis eadem eſt acceptio: inde in Concilio Nicæno 1. *can.* 12. ita legitur: „ Quicumque vocati per gratiam, primum quidem ardorem, „ fidemque ſuam oſtenderunt, & cingulum militiæ depoſuerunt, poſtea vero, ut canes ad ſuum vomitum reverſi fuerunt, ita ut, & aliqui pecuniam darent, & beneficiis militiam repeterent, hi decem annis jaceant poſt triennii auditionis tempus. “ Ubi notavit Albaſpineus. Hinc Epiſcopi exauctorati, dicuntur diſcincti, ideſt cingulo ſacræ militiæ exuti. Sidonius *l. 1. ep.* 7. ibi: *Prius cinctus cuſtodia, quam poteſtate diſcinctus.* Et *l. 5. ep.* 7. reverentiam clericis cinctis, jura diſcinctis, privilegia, &c. Gregorius Turon. *l. 5. c.* 27. ibi: *Qua de cauſa ab Epiſcopatu diſcincti in baſilicam B. Marcelli ſub cuſtodia detruduntur.* Erudite ergo Pontifex in præſenti collationem facit utriuſque militiæ aſſerendo, quod ſicut militi militiæ terreſtris non licet militiam deſerere, non expleto militiæ tempore, *l. 3. §. qui ſtationi, ff. de re mil.* ita nec Epiſcopo licet Epiſcopatui renuntiare, & militiæ cingulum ſolvere. Alia plura parallela ex utraque militia deducunt Loayſa *in c. n.* 3. *Conc. Hiſpal.* 2. Creſolius *in myſtagog. l. 1. c.* 8. Juretus *in notis ad Carnotenſ. ep.* 24. Demſterus *ad Roſinum l. 9. pag.* 959. D. Matthias Guerra *de litteris, & armis, n.* 6. & 30.

d *Principem terræ.*) Nota ex illis verbis facile conſtare, Epiſcopos renuntiationem facere debere conſenſu Principis ſæcularis: quod etiam probatur exemplis Gregorii Nazianzeni, qui in ſua oratione alloquitur Theodoſium, & ab eo miſſionem impetravit, a quo in Epiſcopum promotus fuerat. Et Arnulphi Metenſis Epiſcopi, qui a Clothario Secundo petiit cedendi facultatem, ut in hiſtoria Præſulum Metenſium refertur. Olim autem cauſas renuntiationum Epiſcoporum fuiſſe probatas in Concilio Provinciali, conſtat ex epiſtola 3. Concilii Epheſini ad venerabilem Synodum Pamphyliæ, relata ab Harmenopulo *in Breviario Canonum, ti.* 8. & ex libello renuntiationis Heraclienſis Metropolitani, qui extat *l. 6. juris Orient.* & ex notatis a Balſam. *in can. 76. Apoſt.*

e *De ſubſtituenda ſis perſona.*) Sed nulli viventi Epiſcopo alius ſuperponitur, aut ſuperordinatur, niſi forſan in ejus locum, quem culpa capitalis dejecit, *c. Epiſcopum, c. non dicatis, & per totam* 8. *q.* 1. Concil. Aurelian. *l. 5. c.* 22. Meldenſe *can.* 47. plura Antonius Auguſtinus *in epit. l. 4. c.* 24. dicemus *in c. 1. de præb.* igitur Archiepiſcopus in præſenti, licet ſenio, aut morbo ſontico laborans, munere ſuo accurate fungi nequiret, non poterat ſubſtituere, aut ſibi ſucceſſorem deſignare. Cui difficultati ſatisfaciendum eſt, dicendo, quod licet in noſtro textu non poſſet Archiepiſcopus ſibi ſucceſſorem deſignare, tamen cum conſenſu Cleri, & plebis, ſive eorum, quibus competebat jus eligendi, aut electioni conſentiendi, poterat coadjutorem adhibere, ut ab eo Epiſcopalia munia obirentur. Conc. Arauſic. *can.* 29. quamplurimis Eccleſiæ ſanctionibus, & Patrum exemplis probat Fileſacus *in c. quoniam* 14. *§. 2. de officio ord.* unde in præſenti recte jubetur, ut ſi Archiepiſcopus adeo ſit ſenio impeditus, ut in Eccleſia miniſtrare nequeat, tunc cum conſilio Regis, cui jus conſentiendi in electionibus Epiſcoporum competebat, juxta textum *in c. cum terra* 14. ubi dixi, *de elect.* & Religioſorum, aliorumque, qui jus eligendi Epiſcopum habebant, juxta textum *in c. cum Eccleſia, de cauſa poſſeſſionis*, poſſit coadjutorem adhibere, ut eo defuncto, ſi Eccleſiæ expediret, illi in Epiſcopatu ſuccederet. Docet Fileſacus *ubi ſupra*. 4

COMMENTARIUM.

EX hac decretali epiſtola ita ex prima collectione reſtituta ſequentem deduco diſputandam aſſertionem: *Non licet Epiſcopo propria auctoritate deſerere Epiſcopatum prætextu ſenectutis, aut inſufficientiæ.* Probant textus *in c. ſuggeſtum* 46. *cap. ſuſcitaſti* 47. *& per totam* 7. *quæſt.* 1. *c. cum poſt* 46. *de elect. cap. niſi cum pridem, hoc tit.* Illuſtrant ultra congeſtos a Barboſa *in præſenti, & l. 3. juris eccleſ. c.* 6. Petrus Gregorius *l. 17. ſyntagm. c.* 16. *& de beneficiis c.* 24. *& t. 1. part. tit.* 28. *c.* 2. Solorzanus *de jure Indiar. to. 2. l. 3. c.* 13. *n.* 93. Michael Rouſſelius *l. 1. hiſt. Pontif. juriſdict. c. 4. n.* 10. Petrus Marcha, ſeu idem auctor hiſtoriæ Pontif. *l. 6. concord. cap.* 8. Magnus Præceptor majoris diſcipuli, ſeu auctor reſponſi a las pretenſ. de Francia, §. 10. *n.* 58. Boſquetus *ad Innocentium l. 3. epiſt.* 121. Robertus *l. 1. rerum judicat. c.* 7. Vighellius *in methodo juris canonici, pag.* 313. Eſpenceus *l. 3. digreſſ. c.* 20. Dartis *de beneficiis, c. de renun.* & alii laudandi *in c. admonet, hoc ti.* 5 Concluſio probatur.

Hæc Innocentii epiſtola valde difficilis redditur ſequenti conſideratione; nam unicuique licet jura, quæ pro ſe introducta ſunt, cedere, *l. penul. C. de pactis, l. ſi quis in conſcribendo, C. de Epiſcopis, & clericis*, plura Balboa *in c. 1. de foro compet.* Vega, & Fermoſinus *in c. ſi diligenti, eod. tit.* Galbanus *de uſufructu c.* 20. & quilibet ſuæ rei eſt moderator, & arbiter, *l. in re mandata, C. mandati, c. eos qui 1. q. 1.* Fortunius Garzia *de ult. fine, illat. 7. num.* 453. Pinellus *in l. 1. 2. p. nu. 1. C. de bonis maternis*; ſed Epiſcopus eſt dominus proprii Epiſcopatus: igitur illum cedere propria auctoritate valet. Probatur minor; nam ille dicitur dominus alicujus rei, qui habet juſtum titulum, poſſeſſionem, vel quaſi, *l. cogi, ff. de petit. hereditatis, l. juſto, ff. de uſuc. l. & generaliter, ff. de noxalibus, l. apud, ff. de furtis*: ſed Epiſcopus virtute confirmationis Pontificiæ obtinet titulum, poſſeſſionem, vel quaſi, ut habent alii beneficiarii virtute inſtitutionis, *c. 1. de regulis juris l. 6. c. ex frequentibus, de inſtit.* igitur Epiſcopus poteſt Epiſcopatui renuntiare propria auctoritate. Augetur hæc difficultas ex eo, quia Epiſcopatui in præſenti juſtam renuntiandi cauſam habebat, ſenectutis videlicet; ſenex enim erat, ut ipſe fatetur; unde juxta rectam politiam non ſolum excuſandus, verum, & repellendus ab honore, & munere paſtorali erat. Apud Romanos enim legibus cautum erat, ut ſenes ab omnibus muneribus vacationem haberent; & ipſi Senatores poſt ſenectutem ad Senatum ire non cogebantur. Plinius Junior *l. 4. ep.* 23. *ibi*: „ Ut ipſæ leges monent, quæ „ majores annis 60. otio reddunt. *Seneca* de brevitate vitæ, „ *c.* 20. *ibi*: Lex a quinquageſimo anno militem non cogit, „ a ſexageſimo Senatorem non citat. *Cicero* de ſenect. Legibus & inſtitutis vacat ætas noſtra muneribus his, quæ non „ poſſunt ſine viribus ſuſtineri. “ *Et l. ſemper, ff. de jure immun. l. 2. C. de excuſ. munerum, l. 1. C. qui ætate*; plura Mancinus *de triplici juris collat. c.* 191. Petrus Greg. *l. 47. ſyntag. c.* 25. *n.* 14. Tiraquellus *ad Alex. l. 4. c. 3. n.* 11. Paulus Zacchias *t. 1. quæſtionum Medicolegal. q. 1. & ult.* unde ſenes depontani dicebantur, non quia de ponte (ut aliqui putarunt) ab adoleſcentibus dejicerentur; ſed quia ſuffragium in Senatu habebant, quod ferebatur ſupra menſam, quam pontem ipſi appellabant, ut referunt Marcus Varro *l. 2. de vita Patrum, ibi*: „ Cum in quintum „ gradum pervenerant, atque habebant ſexaginta annos, tunc „ denique erant publicis negotiis liberi, atque expediti, & otioſi; „ ideo in proverbium quidam putant veniſſe ſexagenarios de ponte dejici oportere, quod ſuffragium non ferant, quod per pontem ferebatur. *Macrobius l. 1. Saturnal. c. 5. ibi*: Adimere vis doctis viris in verborum comitiis jus ſuffragandi; & tamquam ſexagenarios majores de ponte dejicis. “ Et pluribus illuſtrant Eſpenceus *in D. Paulum, ad Titum c. 2. digreſſ.* 4. Creſolius *l. 1. myſtag. c.* 18. Cuchier *in face hiſt. c.* 1. Solorzanus *in ſua Cand. n.* 265. & plura de incommodis ſenectutis Theoph. *t. 3. q. 4. art.* 2. igitur juſte in noſtro textu Archiepiſcopus, ſenex, ætateque jam longæ- 6 Ratio dubitandi.

longæva, cedendi facultatem petebat. Augetur hæc difficultas, nam inter juſtas cauſas renuntiandi Epiſcopatui, & ſimili dignitati, ſenectus enumeratur, *c. niſi hoc tit.* unde ob eam cauſam Silvan. Epiſcopus Gaufridus renuntiavit Epiſcopatui, ut refert Rigordus *ad an.* 1213. *ibi*: „ Gaufridus Silvanectenſis Epiſcopus, ſentiens ſe tam ætate, quam corpulentia ponderoſa inſufficientem oneri, quod jam per triginta annos portaverat, „ impetrata a ſummo Pontifice, ſicut in jure cautum eſt, licentia, Epiſcopatui renuntiavit. “ Ex eo notavit Boſquetus *ad Inn. l. 1. ep.* 1. ſenes in Epiſcopos eligi non debere, *c. unico, 5. d.* pulchre Sidonius *l. 7. ep. 9. in cautione, ibi*: „ Solam clericatus diuturnitatem pro meritis autumant calculandam, ut nos „ in Antiſtite conſecrando, non utilitatem velint eligere, ſed „ ætatem. “ Igitur ob ſenectutem, quam allegabat Archiepiſcopus, cedendi licentia illi concedi debebatur. Augetur ultimo, nam ignorantia, quam Archiepiſcopus fatebatur, non ſolum ſufficiens erat, ut ejus renuntiatio admitteretur, verum & ob eam repellendus erat a dignitate jam promotus, *c. niſi, hoc ti. c. omnes, 63. d. c. congregato 53. de elect. c. fin. de ætat. & qual.* igitur ſaltem ob hanc inſufficientiæ cauſam, quam Archiepiſcopus patiebatur, ejus renuntiatio admittenda erat.

7 Renuntiationes etymon, & definitio. Hac difficultate ita ſulcita non obſtante, vera eſt præſens deciſio, ad cujus expoſitionem ſciendum eſt, renuntiationem in utroque jure, & apud bonæ notæ Interpretes accipi aliquando pro referre, ſeu nuntiare, quid jam contigerit, ut accipitur apud Matt. *c.* 2. ibi: *Ite & renuntiate mihi*: & apud Conſultum *in l. 1. ff. ſi menſor falſum modum*, ibi: *Intereſt noſtra, ne fallamur in hujuſmodi renuntiatione.* Apud Ciceronem *Phil.* 8. ibi: *Cum Legati renuntiarunt, quod certe renuntiabant, Antonium non eſſe in veſtra poteſtate.* Unde renuntiatores dicuntur, qui revelant Regis ſecreta, *l. ſi quis aliquid, §. 1. ff. de pœnis.* Frequentius tamen accipitur pro cedere, aut remittere, *l. ſi abſent. ff. de legationibus*, ibi: *Licet legationem, quam ſuſceperit, non renuntiaverit*; & *l. ſi quis in conſcribendo, C. de pact.* pro reſignare accipitur *in lib. naturaliter, §. nihil, ff. de acquir. poſſeſſ. l. ſed & ſi quis, §. quæſitum, ff. ſi quis cautionibus*: qua in ſignificatione accipitur in noſtro textu, & aliis congeſtis a Pet. Greg. *de beneficiis c.* 24. Cabreros de Avendanno *de metu l. 2. c.* 13. Olea *de ceſſione jurium, ti. 1. q.* 2. quibus ſuppoſitis pro renuntiationis variis acceptionibus ſciendum eſt, renuntiationem eſſe, *Juris proprii ſpontaneam ceſſionem ex certis cauſis, & cum auctoritate ſuperioris factam.* Dixi, *juris proprii*; quia juri alieno nemo renuntiare valet, *l. ſi univerſa: C. de legatis, l. obſervare, ff. de officio Proconſulis, c. dilecto, de præbendis*; niſi fiat procuratorio nomine juſſu domini: non ſolum enim poteſt quis renuntiare proprium beneficium per ſe, verum, & per procuratorem; & ſtatim renuntiatio vim, & effectum obtinet, etiamſi mandatum revocatum ſit, *Clem. unica, de renun.* cujus interpretationem late proſequuntur Dartis *de beneficiis, c.* 3. Cov. *in pract. c.* 9. Baſilius *l. 2. de matr. c.* 15. Rufiniacus *l. 3. conſt. tit.* 22. *c.* 22. Petr. Greg. *de beneficiis c.* 28. dixi etiam, *ſpontaneam ceſſionem*; quia renuntiatio per vim facta caret effectu, *c. ſciant* 12. *de elect. in 6. c. Abbas*, cum ſequenti, *de his quæ vi*, ubi late dicam: Avendanno *l. 2. de metu, c.* 13. Tandem dixi, *ex certis cauſis, & cum auctoritate ſuperioris*, ut cognoſcatur, non quamcumque Epiſcopatus, ſeu beneficii valere, ſed eam tantum, quæ ex juſtis cauſis fit, quas enumerabimus *in c. niſi, hoc ti.* Dixi etiam, *cum auctoritate ſuperioris*, ut comprehendantur, non ſolum renuntiationes Epiſcoporum, ubi Pontificis licentia expectatur, verum & Parochorum, in quibus auctoritas Epiſcopi deſideratur. Superſunt pro hujus tituli exactiori expoſitione tria examinanda. Primum, per quas perſonas, & apud quas renuntiationem fieri oporteat; quam partem examinabimus *in c. admonet, c. quod in dubiis, c. fin. hoc tit.* Secundum, quibus ex cauſis renuntiatio admittatur, de qua *in c. niſi, hoc ti.* tertium, quænam beneficia renuntiari valeant; quod dubium diſcutiemus *in c. ſane, c. veniens, hoc ti.* Sed quia noſtri inſtituti non eſt methodice materias exponere, ſed ſingulas deciſiones peculiaribus commentariis explicare, prædicta dubia ſuo ordine non proſequimur: facile tamen qui maluerit præſentis tituli, & aliorum materias methodice pertractare, aſſequi poterit perlectis, & in unum collatis totius tituli commentariis.

8 Ratio decidendi. Manet ergo ex noſtri textus deciſione, Epiſcopum non poſſe Epiſcopatui renuntiare, etiam prætextu ſenectutis, niſi ex licentia R. Pontificis: cujus prohibitionis ratio eſt, nam cum inter Epiſcopum, & Eccleſiam contrahatur ſpiritualis matrimonii vinculum, *c. inter*, ubi dixi, *de transl. Epiſ.* & hujus vinculi diſſolutio R. Pontifici ſit reſervata, ideo abſque ejus licentia non licet Eccleſiam propriam Epiſcopi ſponſam deſerere. Lupus Ferrarienſis *ep. 29. ibi*: „ Quemadmodum carnalem copulam non licet reſolvere, niſi ex cauſa fornicationis ita „ ſuſceptam ſemel paſtoralem curam nefas eſt deponere, quamdiu omnium ſaluti conſuli poteſt. “ Accedit, nam valet argumentum de militia terreſtri ad cæleſtem, ut in hoc textu docetur. Sed quemadmodum non licet militi militiæ terreſtris deſerere ſtationem propria auctoritate, *l. 3. §. qui ſtationi, l. non omnes, l. ex cauſa, ff. de re milit. leg. 4. Cod. eod. tit.* faciunt textus *in l. Legatus 19. ff. de officio Proconſ. leg. 2. §. & cum placuiſſet, de origine juris*, Steubechius *ad Vegetium l. 2. cap. 5. in fine*. Similiter nec cæleſtis militiæ militi licebit prius ſolvere militiæ cingulum, quam cedat illi adverſitas præliorum, ut in præſenti docetur: quod procedit præcipue tempore perſecutionis, quo non licet ullo modo Eccleſiam deſerere, ut ajebat D. Ambroſius, cum ex Juſtinæ Imperatricis juſſu de Eccleſia juberetur exire. *Hoc ego* (inquiebat ad Quæſtorem) *ſponte non faciam, ne lupis ſepta ovium tradere, & prodere videar; hic ſi placet, occide, hoc loco mortem prona ſuſcipiam voluntate.* Refert ipſe S. Doctor *in oratione ad Exentium*, & *epiſt. 37. de Baſilicis*, tradunt Theodoretus *l. 5. c.* 13. Nicephorus Calixtus *l. 12. hiſt. c.* 5. & *l. 9. c.* 20. quare Liberius Papa *ep.* 2. hortatur quoſdam Epiſcopos deſerere volentes Eccleſias, & ad religionem tranſire, ne id faciant. Neque cauſa ſenectutis ſufficiens erat in Archiepiſcopo Lugdunenſi, quoniam plerumque vergente deorſum conditione corporea, fervor ſpiritus in ſublimiora conſcendit, & Eccleſia melius per ſenes regitur, quam per juvenes; quod & agnoverunt Majores, dum Senatores majores ſexaginta annis eligebant. Plutarchus *in vita Lycurgi*, ibi: „ Senex ipſe, uti diximus, Lycurgus, primum eos, qui cœpti ſui fuerant participes, deſignavit: deinde in locum demortui ſuffici juſſit eum virtute, qui eſſet præſtantiſſimus judicatus, ſexaginta annis major. “ Et certe hæc eſt accommodata iis, qui ſuo conſilio alios regere debent: nam, ut inquit idem Plut. in opuſculo, An ſeni gerenda ſit Reſp. *Ad parendum juveniles, ad imperandum ſenilis ætas accommodata eſt; ac maxime ſalva eſt civitas, ubi conſilia ſenum, & juvenum arma obtinent. Laudaturque majorem in modum iſtud:*

Primum ætate graves, & ferti pectore claros,
Neſtoream ad navium conductos dicere juſſit,
Conſiliumque dare.

Atque ideo optimatum Magiſtratum Spartanæ civitatis Regibus adjunctum Apollo Presbygenas, ideſt magno natu præditos; Lycurgus diſerte Gerontes, ideſt ſenes, nominavit. Idem Plut. in vita Lycurgi refert Tyrtei carmina, quæ eamdem rationem inſinuat:

Conſilii teneant Reges, & juris habenas:
Queis cura eſt Spartæ conſpicienda domus.
Grandævique ſenes, & qui de plebe creari,
Sanctarum legum civibus inſtar erunt.

Saluſt. *in Catal.* ibi: *Delecti, quibus corpus annis infirmum, ingenium ſapientia validum eſt.* Huc pertinet pulchrum illud Euripidis:

Dictum eſt vetuſtum, facta juvenum, ceterum
Magis valent conſilia ſenum.

Cicer. *in Catone*, ibi: *In agris tunc erant Senatores, ideſt ſenes.* Ovidius *in Faſt.*

Nec niſi poſt annos patuit tunc Curia Ceros.

Hinc etiam videmus Virgil. 8. *Æneidos*, juvenibus oppoſuiſſe Senatum, hoc eſt ſenes.

Nec difficultas ſupra perpenſa adverſatur; licet enim dominus cujuſque rei poſſit eam pro libito dimittere, & juri 9 Diſſolvitur difficultas. proprio renuntiare: hoc tamen non procedit in Prælatis eccleſiaſticis, & aliis officiis publicis; quæ enim publicam cauſam continent, privato arbitrio, nec dari, nec cedi poſſunt, *l. 3. §. idem & ſi, l. Paulus 47. ff. de bonis libertor. l. meminiſſe 10. ff. de off. Proconſulis, l. penul. ff. de officio Præſidis*: unde Legatus Cæſaris Præſidiſve provinciæ abdicare ſe Magiſtratu prohibetur *in l. penult. ff. de officio Præſidis.* Unde cum publice interſit Eccleſiæ, ne ejus miniſtri propria auctoritate beneficia eccleſiaſtica cedant, juſte ſtatutum eſt, ne inconſultis his, quibus competit jus confirmandi eos, Epiſcopatum, ſeu beneficium cedant. Nec argumentum primum refragatur; nam licet ſenectus, quæ Epiſcopum reddit inhabilem ad exercitium officii ob corporis debilitatem, juſta cauſa ſit cedendi Epiſcopatum, *d. c. niſi, hoc tit.* ex rationibus ſupra adductis; tamen cum ſenectus non ita gravat corporis vires, non præſtat cauſam ceſſioni: unde cum cauſæ cognitione examinabitur, an qui abdicare ſe vult ab officio paſtorali, impar ſit ejus oneri, necne. Quare licet in hoc textu Archiepiſcopus aſſeruiſſet ſe jam ſenectute oppreſſum eſſe, nihilominus cauſæ cognitio præcedere debebat, ut poſſit ea a Pontifice approbata Epiſcopatui renuntiare. Nec ultimum argumentum obſtat; procedit enim ejus principium, cum vera inſufficientia datur, & adeo magna, ut non poſſit Epiſcopus officii munia obire, aut Eccleſiam regere, quæ in hoc textu non dabatur, licet humilitatis cauſa aſſereret Archiepiſcopus, ſe inſufficientem regimini eſſe.

Ex ſupra traditis accipit lucem textus *in c. ſcripſit 1. 7. q.* 1. juncta ejus integra, quæ reperitur *l. 9. ep. Gregorii Magni, ep.* 4. 10 Exponitur c. 7. q. 1. Agitur in eo textu de Joanne Epiſcopo primæ Juſtinianeæ, quam Eccleſiam Vigilius Papa in Metropolitanam Daciæ, tam Mediterraneæ, quam Ripenſis erexit, ut refert Juſtinianus *in novella* 11. & 131. ubi notarunt Cujacius & Ritherurſius. Aſſerit ergo Gregorius Magnus, quod ſi Joannes Epiſcopus adeo adverſa valetudine captus eſt, ut Epiſcopali curæ non ſufficiat, diſpenſator, hoc eſt adjutor apponatur, qui curam illius Eccleſiæ habeat: pergit Gregorius *in d. ep.* & ait quod ſi ipſe Epiſcopus velit præ moleſtia ſua Epiſcopatui renuntiare, renuntiatio admittatur, & ſucceſſor ordinetur. Quæ deciſio locum habet, ſecuta Pontificis licentia, ita ut ex juſta cauſa ægritudinis a Pontifice approbata, poſſit Epiſcopus Epiſcopatui renuntiare, juxta ſupra tradita: quo modo etiam accipiendi ſunt textus *in c. quamvis 14. c. fratres 18. 7. q. 1. c. fin. 7. qu. 2. c. 1. hoc tit. in collectione.*

BIBLIOTECA CENTRAL

C A P U T II.

Idem *Abbati* a *Dalonen.* *&* *Priori de* b *Artigia*.

CUm inter P. Gaufredi, & quoſdam alios Canonicos S. Luviani ſuper ſpirituali beneficio, ſcilicet *c* ſtallo in Choro, & loco in Capitulo, in *d* Curia noſtra quæſtio fuiſſet diutius agitata: quia tamen altera pars ſufficienter inſtructa non venerat, negotium non potuit terminari. Ideoque cauſam ipſam veſtro examini committentes, d. v. per A. ſ. m. quat. partes ante veſtram præſentiam convocetis, & rei veritate plenius inquiſita, ſi præfatum P. Gauf. inveneritis de conſenſu majoris, & ſanioris Partis Capituli fuiſſe de ſpirituali *e* beneficio auctoritate Apoſtolica *f* inveſtitum, eum beneficium ipſum faciatis ap. rem. pacifice poſſidere; non enim videtur nobis impedimentum afferre etiam juramentum, quod de eodem non petendo ulterius proponitur præſtitiſſe, ſi conſenſus majoris, & ſanioris partis Canonicorum Eccleſiæ interceſſit.

N O T Æ.

1 a DAlonen.) Ita legitur in prima collectione, ubi *ſub hoc tit. c.* 3. reperitur noſtra deciſio: ſed legendum eſt, *Dolenſi*, ut habetur in ſexta compilatione. Dolenſe autem monaſterium Ordinis D. Benedicti, celebre eſt in Gallia, in diœceſi Bituricenſi, fundatum ab Ebbone Domino Dolenſi an. 917. ut habetur in chronico Dolenſi, *t. 1. Bibl. noviſſimæ*; ſive ab eo reædificatum, cum a Samſone Epiſcopo Dolenſi conſtructum eſſet an. 562. ut probat Yepes *t. 1. chr. D. Benedicti, dict. an.* 562. *c.* 1. Dolenſe monaſterium Sedi Apoſtolicæ immediate ſubeſt. Greg. VII. *t. 3. ep.* 10. *Dolenſe monaſterium, ſicut novit fraternitas tua, juris ſancti Petri eſſe dignoſcitur, cui ſi aliquod diſcrimen inferatur, ſpeciali ſolicitudine ſuccurrere debemus.* Plura de eo Chopinus *l. 1. ſacræ polit. n.* 14. Yepes *ubi ſupr.* Boſquetus *ad Innocentium l. 1. ep.* 1. Cironius *in c. 5. de conſtit. in 5. coll.* Hujus monaſterii Abbati Giraldo Moral. dicto, qui 22. annis illi præfuit, reſcripſit Alexander *in præſenti*, Fratres Sarmat. *t. 4. Galliæ, fol.* 341.

2 b *Artigia.*) Eſt etiam in Gallia in diœceſi Lemovicenſi; non longe a S. Leonardo, Ordo vulgo dictus *de Artitia*, propter locum appellatum Artigia, ut refertur a Guidone *t. 2. Bibl. noviſſimæ, pag.* 278. Hujus Ordinis Priori Joanni Nevitoner dicto miſſa eſt hæc deciſio.

c *Stallo in choro.*) Hæc verba expoſui *in c. eam t. 7. de reſcriptis.*

3 d *Curia.*) Licet Curia aliquando accipitur pro villa, ſeu curte, *c. 2. de cenſibus, in 5. coll.* ibi: *Ne de curiis, aut grangiis*; ubi notat Cironius: tamen in utroque jure, & apud probatos Auctores Curia accipitur pro loco, ubi cauſſæ diſceptantur; & deciduntur, Clementina 1. *de jurejurando*, & aliis congeſtis ab Anton. Auguſt. *in ep. l. 4. ti.* 61. Jureto *in notis ad Ivonem, ep.* 241. Apud Romanos duæ erant Curiæ, una ubi de ſacris, Deorumque religione agebatur; alia ubi de rebus publicis, ad populumque ſpectantibus tractabatur: utriuſque meminerunt Varro *l. 4. linguæ*, Feſtus *l. 3. verbo Curia*, Aulus Gellius *l. 4. noctium, c.* 7. Alex. ab Alex. *l. 1. Genialium, c.* 16. & apud eos Curia generaliter pro conſeſſu Senatus accipitur, *l. 1. C. de Conſulibus, in Theod. l. 3. de fide inſtr. in eod. Cod.* inde curiales dicti, qui in his curiis erant, *l. curialis*; *C. locati, l. ſi quis curialis, C. de Epiſc. & cler.* plura Vvolfang. Lazius *lib. 12. Reip. Romanæ, capit.* 13. Paz *in lib. 7. ſtili*. In jure etiam noſtro patrio ita accipitur curia, *lib. 27. tit. 9. par.* 2. Paz *ubi ſupr.* Alia de curiæ etymologia addunt Polletus *l. 1. hiſt. fori Rom. c.* 4. Lexicographi *verbo Curia*, & nos, *in c. cum non ab homine, de judiciis.*

4 e *Spirituale beneficium.*) Aliud enim eſt beneficium temporale, aliud ſpirituale, *c. felicis, §. ſi qua vero, de pœnis, l.* 6. Temporale eſt feudum, quod dicitur beneficium, *c.* 1. & paſſim, *quibus modis feudum amittitur.* Eccleſiaſticum dicitur præbenda, Canonicatus, Epiſcopatus, & etiam Pontificatus, *c. 1. de maledicis*: docent Corraſius *de ben. c. 1. ti. ult.* Petrus Greg. *eod. tr. c.* 6. Lotherius *de re benefic. q. 2. n.* 3. Cironius *ad titulum de præbendis*. Quare cum in præſenti ageretur de Canonicatu, illum appellat Alexander III. beneficium ſpirituale, quamvis aliter accipiat hæc verba Hoſtienſis *in præſenti*.

f *Inveſtitum.*) Sed quomodo Capitulum poterat inveſtituram dare, & in poſſeſſionem mittere, ſi inſtitutio, inveſtitura, ſeu poſſeſſionis traditio fit per Archidiaconum, cui competit Canonicos in ſedem collocare? *c. ad hæc, c. ſignificaſti 8. de off. Arc.* Sed huic difficultati reſpondendum eſt, quod licet inveſtitura proprie ſignificet ipſam poſſeſſionem realiter traditam, *l. 2. feudorum, ti.* 2. Pratejus *verbo Inveſtitura*, Hothomanus *de verbis feudalibus, eod. verbo*; tamen aliquando tantum ſignificat jus adipiſcendi poſſeſſionem corporalem, *l. 1. feud. ti. 3. §. ſi vero*, & *l. 2. ti. 7. §. fin.* notat Cironius *ad tit. de inſt.* unde qui electus eſt a majori, & ſaniori parte Capituli, quia habet jus, ut ſibi conſtituantur locus in Capitulo, & ſtallus in choro, late dicitur inveſtitus in noſtro textu, licet adhuc corporalem poſſeſſionem ab Archidiacono non acceperit. 5

COMMENTARIUM.

EX hoc textu, tam claſſici, quam relati a Barb. *in præſenti*, deducunt, renuntiantem beneficium interpoſito juramento amplius illud non petendi, poſſe. ſi denuo erigatur, illud obtinere. Opponunt tamen ut huic deciſioni contrarium, textum *in c. ſi vero, de jurejurando*, ubi deciditur, jurantem amplius non petiturum beneficium, non poſſe illud repetere. Sed ſi textus attente perpendantur, nullam continent antinomiam; ſiquidem *in d. c. ſi vero*, agitur de eo, qui neglecta juramenti religione, volebat beneficium, quod cum juramento renuntiavit, repetere; in hoc vero textu agitur de eo, qui denuo electus fuit a Capitulo, abſque ulla repetitione: unde ſalva juramenti religione illud obtinere poterat, cum etſi beneficium renuntiaverit cum juramento, renuntiavit jus, quod tunc habebat, non autem futurum, quod non ſperabatur, cum in renuntiatione non veniant, quæ non cogitantur, *l. cum Aquiliana, ff. de tranſ. l. mater, decedens, ff. de inofficioſo teſtam.* Fontanella *de pactis nuptial. t. 1. claſ. 4. gloſſa 28. n.* 40. Renuntiatio eſt ſtrictiſſimi juris, & ſtricte interpretanda, tam reſpectu rerum, *l. qui cum tutoribus, C. de tranſact.* quam perſonarum, *l. ſi unus, §. antea, ff. de pactis*: Salcedo *de repræſent. l. 2. c. 16. n.* 78. quare renuntiatio facta ex una cauſa, non extenditur ad jus competens ex alia, licet verbis generalibus facta ſit, *l. ſi domus, ff. de ſerv. ruſtic.* Decianus *vol. 2. conſil.* 169. plura Avendanno *l. 2. de metu, c.* 13. Unde renuntiatio facta in hoc textu cum juramento amplius non repetendi beneficium, non extenditur ad ſecundam electionem, cum jus ex ea proveniens, tanquam non ſperatum, renuntiari non poſſit. Licet enim poſt renuntiationem nullum jus retineat renuntians in beneficio, *c. 3. hoc tit.* Carnot. *epiſt.* 131. tamen ſi denuo eligatur, admittendus eſt ad poſſeſſionem, *c. ex inſinuatione 26. de ſimon. c. 2. hoc tit. in 2. collect.* Franc. Florens *ad hunc tit.* 6

C A P U T III.

Idem *Epiſcopo* a *Verulano*.

EX tranſmiſſa relatione Abbatis S. Nicolai de *b* Ceperano auribus noſtris eſt intimatum, quod P. Rubeus, dum olim infirmitate laboraret apud monaſterium *c* S. Salvatoris de Teleſia, ſibi petiit habitum *d* monaſticum indulgeri; qui poſtmodum recuperata ſanitate, ad monaſterium illud gratia complendi ſuum votum acceſſit, & ibidem moram aliquantulum faciens, ea quæ dictæ Eccleſiæ ſancti Nicolai *e* contulerat, ſibi fecit reſtitui. Nunc autem mutato animo, per te, & per amicos tuos laborat, ut in eadem Eccleſia reſtituatur. Verum quoniam jamdicta Eccleſia ab eo ſoluta dignoſcitur, ex quo illa ea, quæ ſibi contulerat, ad voluntatem, & petitionem ſuam reſignavit: f. t. mon. atque mand. quat. ſi res ita ſe habet, prædictum Abbatem, & ſocios ejus ad receptionem præfati P. nulla ratione invitos compellas, nec a Ceperano compelli permittas. Hortari tamen eos, & monere poteris, ſi tanti ſibi fuerit, ut illum, non tamquam unum de Eccleſia, ſed quaſi de novo deberet intrare, *f* recipiant.

N O T Æ.

1 a VErulano.) Verulana antiqua civitas Italiæ eſt. Frontinus coloniam Romanorum fuiſſe affirmat: ejus libertatem, & antiquitatem miris laudibus extollit Livius *l.* 9. In ea urbe Beatam Mariam filiorum Zebedæi matrem, ſimul cum ſanctis Blaſio, & Demetrio Evangelium prædicaſſe, ex veteri illius Eccleſiæ menologio referunt Baronius *in martyrol. die 8. Kalendas Auguſti*, Ughellius *t. 1. Italiæ ſacræ, in ſerie Epiſcoporum ipſius Eccleſiæ*. Quamprimum Verulani cives fidem amplexi, & profeſſi fuerunt, Eccleſia Verulana Cathedra Epiſcopali fuit decorata, ut refert Ughellius *ubi ſupr.* Inter alios Præſules qui eam rexerunt Eccleſiam, Fromundus, ſeu Froviomundus eam gubernavit ex anno 1160. uſque ad annum 1170. vir ſingularis doctrinæ; probitatiſque: ab Alex. III. qui tunc, ut Friderici tyrannidem compeſceret, Verulæ degebat, conſecratus fuit. Huic ergo tanto viro miſſa eſt præſens epiſtola, ut jam animadverſum invenio ab Ughellio *ubi ſupra, pag.* 294.

BIBLIOTECA CENTRAL

b *S. Nicolai de Ceperano.*) Caperanum habet Eccleſiam Collegiatam, quæ ſubeſt Verulanæ Eccleſiæ, ejus Præſul Abbas appellatur, non quia Eccleſia ſit regularis, ſed quia plerumque Eccleſiæ Collegiatæ reguntur ab Abbate, ut *in c. fin. de majorit. & obed.* & hanc Eccleſiam S. Nicolai eſſe ſæcularem, teſtatur Chopinus *l. 1. ſacræ polit. tit. 1. n.* 17.

c *S. Salvatoris.*) Monaſterium hoc eſt Ordinis Div. Benedicti, ut refert Tamburinus *in ſerie Abbatum, verbo Toleſin.*

3 d *Habitum monaſticum.*) Plerumque enim infirmi olim in ultimis conſtituti, aut religionis habitum induebant, aut pœnitentiæ benedictionem efflagitabant. Concilium Tolet 13. *can.* 10. Gerundenſe *can.* 9. obſervat Gibalinus *de clauſura monaſtica, diſquiſit. 3. c. 1. §.* 7.

4 e *Contulerat.*) Non per oblationem; nam quæ Eccleſiæ, aut monaſterio offeruntur, repeti non poſſunt, *c. 2. de conſuet.* cum autem quis ſe, & ſua monaſterio offerebat, coronam ad modum monachorum in capite ferebat, *c. finali, de ſucceſſionibus ab inteſt.* ibi: *Cum Archipresbyter de Alterio ſe, & ſua ad participationem orationum monaſterio de Bruxeria obtuliſſet, de manu cujuſdam fratris ejuſdem cœnobii augmentationem coronæ in ſignum oblationis accepit.* Notat Cironius *ad tit. de donationibus*.

5 f *Recipiant.*) Et tunc habebit locum a die hujus ſecundæ receptionis, non autem priſtinum; quia qui in aliqua communitate privatus fuit loco, ſeu ſede, ſi poſtea denuo eligatur, non recuperat priſtinum locum. Solorzanus *t. 2. de jure Ind. l. 2. c. 26. n.* 101. Salgado *de poteſt. 4. p. c. 1. n.* 178.

COMMENTARIUM.

6 Concluſio probatur. EX hoc textu ea deducitur aſſertio: *Qui ingredietur Religionem, & beneficio renuntiat, licet intra annum probationis egrediatur a monaſterio, non recuperat beneficium.* Hæc aſſertio ſingularis eſt, nec aliquo juris teſtimonio probatur. Eam tamen illuſtrant Petrus Gregor. *de benefic. c. 25. n. ult.* Dartis *eod. tr. pag.* 107. Flaminius *de reſign. lib. 5. quæſt. 6. nu.* 64. & *l. 7. qu. 14. n.* 28. Pereyra *in l. ſicuratorem, verbo Improbare, C. in integr. reſtit.* Rodriguez *tom. 1. qu. Regul. quæſt. 37. ar.* 1. Sanchez *de matr. l. 9. diſp. 33. nu.* 19. Gonzalez *in regul. 8. Cancellariæ, gloſſa 15. num.* 45. Garcia *de benefic. par. 11. c.* 9. Barboſa *l. 3. de jure eccleſ. cap. 14. nu.* 3. Caſtro Palao *to. 2. tr. 13. diſp. 6. §.* 7. Tamburinus Lezana, & alii congeſti a Garcia *to. 1. polit. regul. tr. 2. diffic. 6. dub.* 7. Solorzanus *l. 2. de jure Indiar. c. 27. & l. 3. polit. c.* 29. Azor. 1. *tom. inſtit. l. 12. c.* 3.

7 Ratio dubitandi. Sed hæc aſſertio, ſi non everti, labefactari videtur ex ſequentibus juris ratiociniis. Primum naſcitur ex eo, nam ſatis juris certum principium eſt, & in noſtro titulo ſæpius commendatum, renuntiationem beneficii, cujuſcumque generis ſit, non poſſe fieri niſi de licentia ſuperioris, *c. 1. c. admonet, hoc ti.* ſed in præſenti renuntiatio facta fuit abſque ulla ſuperioris licentia: igitur ipſo jure nulla erat. Secundum, non minus liquet apud juris conditores & Interpretes, pendente anno probationis omnia jura novitii eſſe in ſuſpenſo, nec beneficium ante profeſſionem vacare, *beneficium, de regularibus in 6.* ut illi Religionem deſerenti omnia reſtituantur, ac ſi Religionem non fuiſſet ingreſſus. Tol. *ſeſſ. 25. de reg. c.* 16. ubi plura Barb. Suar. *t. 3. de rel. l. 4. c.* 16. Portel. Villalobos, Peyrinis, & alii congeſti a Garcia *d. 1. p. diffic. 5. dub.* 8. ergo in hoc textu, qui pendente anno probationis ad ſæculum rediit, debet beneficium ſuum recuperare. Tertium adverſus eam partem noſtri textus, ubi ſupponitur, Canonicum S. Nicolai potuiſſe ad religionem, & monaſterium S. Salvatoris tranſire, ex eo naſcitur; nam pluribus, & expreſſis juris deciſionibus cautum eſt, ne Canonici, aut aliæ eccleſiaſticæ perſonæ poſſint aliquam Religionem ingredi, aut profiteri, *c. nullus* 1. ibi: „ Nullus Abbas, vel monachus, aut „ Canonicus regularis a propoſito profeſſionis canonicæ revo- „ care, & monaſticum habitum ſuſcipere audeat. *Et* c. man- „ damus 2. *ibi*; Mandamus & univerſaliter interdicimus, ne „ quis canonicus regulariter profeſſus, niſi (quod abſit) publi- „ ce lapſus fuerit, monachus efficiatur, 19. q. 3. " Plura tradunt Boſquetus *ad Innoc. l. 1. epiſt.* 4. Lemaiſtre *de monachis, l. 3. c.* 9. igitur non recte in hoc textu ſupponitur, Canonicum regularem S. Nicolai potuiſſe ingredi monaſterium S. Salvatoris.

7 Adhuc tamen defendenda eſt Alex. III. deciſio, ad cujus explicationem ſciendum eſt, canonicum, ſeu beneficiarium, præbendam, ſeu beneficium habentem, religionem ingreſſum, & ejus regulam expreſſe, vel tacite profeſſum, beneficio ſæculari retro habito privari, *c. 17. q. 2. c. beneficium, de regul. in 6.* ibi: *Aut conſtet, quod vitam voluerit mutare.* Quæ verba de tacita profeſſione ſunt exaudienda, juxta textum *in c. conſulti, c. ſtatuimus, de regular. c. non ſolum, eod. tit. in 6.* antea autem, ſcilicet ante profeſſionem, intra probationis annum beneficium retinet, ut late probant Molfeſ. *tr. 6. ſummæ, c. 12. n.* 18. imo ſi ad ejus titulum novitius ordinatus eſt, durante anno non poteſt beneficium dimittere, aut reſignare. Tr. *ſeſſ. 25. c.* 16. licet jure communi olim potuiſſet illud reſignare, *d. c. beneficium*, Sanch. *l. 7. ſummæ, c.* 4. Barboſa *d. l. 3. c. 15. n.* 109. Dubium tamen apud Interpretes eſt, an poſt Conc. Trid. conſtitutionem, qua prohibetur renuntiatio bonorum durante anno probationis, niſi intra duos menſes proximos profeſſioni, poſſit novitius in prædicto anno reſignare quodlibet beneficium? Et in hac parte jus antiquum ſervari, & ſic poſſe reſignare quandocumque, tenent Rodriguez *in ſummæ, 2. p. c. 8. n.* 2. Garcia *de benefic. p. 11. c. 8. n.* 12. Caſtro Palao, Vilalobos, Machado, & alii congeſti a Barb. *de poteſt. Epiſcopi alleg. 99. n.* 19. Contrarium tamen, videlicet renuntiationem beneficii etiam comprehendi in prædicta Concilii diſpoſitione, defendunt Sur. *t. 3. de rel. l. 5. c. 16. n.* 12. Tamburinus, Lezana, & alii, quos laudat, & ſequitur Garcia *d. t. 1. diffic. 6. dub.* 7. Majolus, & Flaminius relati a Valenſi *de beneficiis l. 2. tit. 25. n.* 28. in quo interpretum diſſidio media ſententia amplecti poteſt, quæ diſcrimen conſtituit inter beneficium, ad cujus titulum quis promotus eſt ad ſacros ordines; & inter alia beneficia: aſſerunt enim, beneficium ad cujus titulum novitius promotus eſt, non poſſe renuntiari; alia vero beneficia reſignare valere; latius proſequitur Garcia *d. 1. part. polit.*

Etiam ſciendum eſt, renuntiatione legitime facta, & a ſuperiore admiſſa, beneficium ipſo jure vacare, etiamſi alii collatum non ſit; neque regreſſum ad illud abſque nova inſtitutione permitti, *c. ſuper hoc tit. c. conſtitutis 45, de appell. c. 1. eod. ti. in 6. Clem. unica, eod. ti.* Garcia *d. p. 11. de benef.* Flaminius *de reſign. l. 1. q.* 1. Valenſis *de benef. l. 3. ti. 13. per totum*: unde dicitur, beneficium vacare per renuntiationem, *c. ſuſceptum, de reſcriptis, l.* 6. quod adeo verum eſt, ut etſi poſt renuntiationem, qui renuntiavit, permanſerit in poſſeſſione per triennium, non juvetur beneficio regulæ Cancellariæ *de triennali poſſeſſione*, quia nullum habet titulum. Rebuffus *in praxi, ti. de pacificis, n.* 285. Unde provenit vera decidendi ratio ad noſtrum textum; ideo enim in ejus ſpecie Canonicus S. Nicolai non poteſt redire ad ſuam præbendam, etſi non elapſo anno probationis habitum dimiſerit, quia cum beneficium ſemel renuntiaſſet, non poteſt illud propria auctoritate repetere, nec mutare voluntatem, *c. quam periculoſum 7. quæſt.* 1. facit regula, *Quod ſemel, de reg. juris in 6.* nec ſolum ſi illud renuntiaſſet in noſtro textu, ad illud redire non valebat, verum etſi licentiam tantum cedendi petiiſſet, renuntiare cogendus erat, nec ad beneficium redire poterat, *c. quidam, hoc ti.* Recte ergo in hoc textu docetur, Canonicum S. Nicolai non potuiſſe redire ad beneficium, quod jam tempore ingreſſus religioni renuntiaverat; ſed quia qui ſemel renuntiavit beneficio, ſi denuo eligatur, virtute ſecundæ electionis poteſt iterum admitti, ideo in præſenti docetur, hortandos eſſe & monendos ipſos Canonicos S. Salvatoris, ut ipſum recipiant in Canonicum & fratrem. 9 Ratio decidendi.

Nec difficultates ſupra expenſæ adverſantur; nam licet verum ſit, ad renuntiationem expreſſam legitime faciendam conſenſum ſuperioris deſiderari; in hoc tamen textu ſupponitur, Abbatem S. Nicolai renuntiationi aſſenſum præſtitiſſe: cum enim Petrus Canonicus S. Nicolai petiiſſet ab Abbate, & Canonicis, ut bona quæ obtulerat tempore receptionis in Canonicum, ſibi redderent, & Abbas reſtituiſſet, conſtat licentiam cedendi & renuntiandi illi conceſſiſſe. Nec ſecunda difficultas adverſatur; nam verum eſt: novitium pendente anno probationis e monaſterio egreſſum, omnia quæ obtinebat tempore ingreſſus, & in ſuſpenſo erant, recuperare, *d. c. beneficium, de regul. l.* 6. ſed illud procedit, quando beneficium non eſt expreſſe renuntiatum, ut in noſtro textu fuit; tunc enim virtute renuntiationis, expreſſæ privatus fuit beneficio; unde etiamſi religionem deſerat, ad illud redire non valet. Nec tandem tertia difficultas obſtat; nam textus in ea adducti, qui prohibent canonicis regularibus, & aliis perſonis eccleſiaſticis vitam monaſticam profiteri, procedunt illis primis Eccleſiæ temporibus, quibus monachi ut laici tantum degebant, nec ſacris ordinibus initiabantur, aut miniſteria eccleſiaſtica tractare valebant, ut per plures annos obſervatum fuiſſe in Eccleſia, traditur *in c. interdicimus, c. juxta, & per totam 16. quæſt.* 1. obſervant Lemaiſtre, & Boſquetus *ubi ſupra*. Sed cum poſtea illis permitteretur ad ſacros ordines aſcendere, *c. monachos, c. ſi quis, c. monachus, 16. quæſt.* 1. clericis ingreſſus etiam in monaſteriis permittebatur. Concilium Toletanum 4. *can.* 49. *Clericis qui monachorum propoſitum appetunt, quia meliorem vitam ſequi cupiunt, liberos ab Epiſcopis in monaſteriis largiri oportet ingreſſus, nec interdici propoſitum eorum, qui ad contemplationis deſiderium tranſire nituntur.* Docet Benedictus Ephtenus *l. 4. diſquiſit. tr. 2. diſquiſit.* 4. Unde cum temporibus noſtri Alexandri Clerici ad monachatum tranſirent, & convolarent; ideo in præſenti ſupponitur Canonicum S. Nicolai potuiſſe ad religionem tranſire. 10 Diſſolvuntur difficultates.

Sed ſuperiori aſſertioni adverſatur textus *in c. Goldaſtus 1. 17. q.* 2. ubi proponitur, Goldaſtum presbyterum infirmitatis paſſione oppreſſum, promiſiſſe ſe monaſticam vitam profeſſurum in quodam monaſterio D. Benedicti; & ut votum facilius adimpleret, beneficium quod obtinebat, in manu cujuſdam advocati renuntiavit: poſtea cum pœnituiſſet, voluiſſetque in ſæculo remanere, & beneficium obtinere, conſuluit Alex. II. qui reſpondit, ipſum retinere debere beneficium. Ex quo decreto aperte deducitur, clericum adverſa valetudine captum, & beneficium renuntiantem, poſſe ad ſæculum redire; & beneficium retinere: igitur ſimiliter in noſtro textu Canonicus S. Nicolai poterat intra annum probationis ad ſæculum redire, & beneficium retinere. Accedit etiam, nam Goldaſtus *in d. cap.* 1. promiſit ingredi religionem, ideſt votum emiſit religionis: igitur cogendus erat votum adimplere, ut de ſimili profeſſione late probat Sanchez *l. 9. de matr. diſp. 33. n.* 9. tandem ex alio capite Goldaſtus *in d. c.* 1. privandus erat beneficio; nam ut ibi refertur, illud renuntiavit in manibus cujuſdam advocati; ſed qui renuntiant beneficium in manibus laici, privatur ipſo beneficio, *c. quod in dubiis, hoc ti.* igitur Goldaſtus *in d. c.* 1. privandus erat beneficio jam obtento. Pro hujus textus vera interpretatione dicendum eſt, Goldaſtum in eo, nec votum ſolemne Religionis emiſiſſe, nec beneficium in manibus Superioris renuntiaſſe; unde cum tantum ſimplicem promiſ- 11 Exponitur c. 1. 17. q. 1.

ſionem feciſſet ingrediendi monaſterium, & ejus prætextu beneficium in manibus advocati renuntiaſſet, potuit ex capite Pœnitentiæ illud repetere. Nec argumentum difficultatis ſupra adductum adverſatur; nam advocatus, de quo in eo textu agitur, erat defenſor Eccleſiæ, qui frequenter in jure noſtro dicitur Advocatus, *c. præterea*, *c. cum autem*, *de jurepatron.* unde cum advocatus in eo textu eſſet perſona eccleſiaſtica, ſed non ſuperior ipſius renuntiantis, ideo renuntiatio viribus deſtituitur. Alia pro ejus textus interpretatione adducit Feloaga *in c. 1. de his quæ vi, prope fin.*

13 Intelligitur c. veniens, de inſtit. in 2. coll. Secundo adverſatur textus *in c. veniens 5. de inſt. in 2. collect.* in illis verbis: „ Veniens ad Apoſtolicam Sedem, &c. *Et infra:* Interim autem R. clericus, qui Eccleſiam alieno nomine poſſidebat, furto eſt irretitus, & exinde, quia crimen ei notorium fuit, rebus furtivis in arca ſua repertis, graviter puniri metuens, eo quod ad Regias aures ſcelus ejus pervenerat, habitum religionis ſumpſit, quem infra annum abjiciens Sedem Apoſtolicam adjit, & ſcriptum Apoſtolici culminis impetravit, in quo continebatur, quod ſi monſtrare poſſet, quod timore mortis clauſtrum intraſſet, a religionis voto abſolveretur a vobis, tacito quod timor ille ex prava conſcientia perpetrati ſceleris proveniebat. *Et infra:* Diſcretioni veſtræ per A. ſ. mandamus, quatenus cum exinde requiſiti fueritis, in unum pariter convenientes, utramque partem ante præſentiam veſtram convocetis, & inquiſita horum veritate, quæ dicta ſunt, & plenius cognita, cauſam ipſam ap. rem. fine canonico terminetis, ita quod ſi vobis conſtiterit, quod crimen notorium fuerit, & timore illo ſæpedictus R. religionem ſuſcepit, & quod idem V. per Archiepiſcopum fuerit canonice inſtitutus, ei Eccleſiam ap. & oc. ceſſ. faciatis reſtitui, & libere, pacificeque dimitti, non obſtantibus litteris noſtris, ſi taliter fuerint, prout diximus impetratæ. “ Ex quibus aperte conſtat, ingredientem religionem, eamque deſerentem intra annum probationis, non recuperare beneficium, quod ante ingreſſum obtinebat: ergo & in noſtro textu, licet expreſſe beneficio non renuntiaſſet, ratione tantum ingreſſus religionis, licet intra annum exiret e monaſterio, beneficio privandus erat, nec ad illud reſtitui valebat. Pro cujus textus vera interpretatione dicendum eſt, Rodericum in ea ſpecie cogi beneficium dimittere, & in religione manere, quia beneficium non ſolum vacat per expreſſam profeſſionem emiſſam in monaſterio, verum & per tacitam, *c. beneficium*, *de reg. juris in 6.* olim enim etiam temporibus Alex. & Innoc. III. non ſolum expreſſe, verum & tacite profeſſio emittebatur, *c. 2. de reſt. c. viduæ*, *de reg.* ubi dicemus. Unde cum *in d. c. veniens*, Rodericus tacitam profeſſionem emiſiſſet, quia monaſterium ingreſſus fuit animo manendi ibi perpetuo, immiſcendo ſe actibus profeſſorum, quomodo olim profeſſio tacita inducebatur; ideo non poteſt ad ſæculum redire, nec beneficium recuperare. Ratio autem dubitandi illius textus proveniebat ex eo, quia Rodericus aſſerebat metu coactum religionem ingreſſum fuiſſe, & ſic a vinculo, ſeu nexu profeſſionis eſſe abſolvendum, & ad beneficium admittendum: ſed cum metus non fuiſſet ab alio illatus, ſed a ſeipſo juſte incuſſus, exiſtimavit enim ſe furti manifeſti reum eſſe, & per conſequens acriter puniendum, quam pœnam ut effugeret, religionem profeſſus fuit; ideo cum metus a ſeipſo fuiſſet incuſſus, non ab alio, inde ejus profeſſio valida declaratur, juxta tradita a Baſilio *l. 4. de matrim. c. 13. per totum*, Sanchez *eod. tr. l. 8. diſp. 8. n. 8.*

Etiam præſenti aſſertioni opponi poteſt textus *in capit. 2. de reſcriptis*, in illis verbis: *Et quod expreſſe renuntiavit*. Cujus veram interpretationem dedi in ejus notis.

C A P U T IV.

Idem *Epiſcopo* a *Tornacenſi*.

ADmonet. *Et infra*: Univerſis perſonis tui Epiſcopatus ſub diſtrictione prohibens, ne *b* Eccleſias tuæ diœceſis ad ordinationem tuam pertinentes, abſque adſenſu tuo intrare audeant, aut *c* detinere, aut te dimittere inconſulto. Quod ſi quis contra prohibitionem tuam venire præſumpſerit, in eum canonicam exerceas ultionem.

N O T Æ.

1 a *Tornacenſi*. Epigraphem hujus textus illuſtravi *in c. eam te 7. de reſcriptis*.

b *Eccleſias tuæ diœceſis.*) Quas ex jure, quod obtinet in ſuo Epiſcopatu, illi ſubjectas eſſe certum eſt, *c. omnes Baſilicæ 16. q. 7.* ſive Eccleſiæ ſint regulares, ſive ſæculares; *c. monaſteria 18. q. 1.* plura adducunt Creſpetius *in ſumma*, *verbo Baſilicæ*, Balboa *in c. 1. de foro compet. q. 1. n. 1.* Savarus *ad Sidonium l. 4. ep. 15.* Germonius *l. 3. ſacrorum*, *c. 4.* Boſquetus *in notis ad Innocentium*, *l. 1. ep. 7.* Mendoza *l. 2. pro confirm. Concilii Illiber. c. 30.* Bignonius *ad Marculſum*, *c. 1. pag. 417.* Sed quia Eccleſiæ regulares jam a temporibus Gregorii exemptæ fuerunt a lege diœceſana, ut late dicemus *in c. licet. de off. ordin.* ideo in præſenti Alexander III. abſolute non agit de omnibus Eccleſiis in Epiſcopatu Tornacenſi conſtructis, ſed tantum de illis, quæ ad ordinationem ipſius Epiſcopi ſpectant.

c *Detinere.*) Hæc prima pars continet prohibitionem ne quis Eccleſiam obtineat abſque inſtitutione illius Prælati, ad quem inſtitutio pertinet; quam partem examinavimus *in cap. ex frequentibus*, *de inſtitutionibus*.

C O M M E N T A R I U M.

EX hoc textu ſequens depromitur concluſio: *Beneficiatus ſine licentia ſui Epiſcopi beneficio renuntiare non poteſt*. Probant

2 Concluſio refertur, & probatur. textus *in c. 1. 53. d. c. 1. & 2. 63. d. c. ſi qui vero*, *c. Epiſcopus*, cum ſequentibus, *c. ſuggeſtum*, *c. ſciſcitaris*, *7. q. 1. c. denique 6. q. 3. c. Abbas 20. q. 2. c. niſi cum pridem*, *c. ſuper*, *hoc ti. c. poſt electionem 7. de conceſſione præb. c. ex ore 3. de his quæ fiunt a majori. c. cum & plantare*, *§. in Eccleſiis de privilegiis*, Concilium Later. *p. 49. c. 9.* Lateran. ſub Innocentio III. *cap. 28.* Baſileenſe *ſeſſ. 23.* Moguntinum 4. *c. 69.* Concilium Salesburgenſe tempore Martini celebratum, *can. 4.* ibi: *Nullus Eccleſiam, vel beneficium Eccleſiaſticum dimittere, vel recipere præſumat ſine ſui ſuperioris auctoritate; quod ſub pœna excommunicationis, vel ſuſpenſionis omnibus firmiter inhibemus*. Alia juris teſtimonia adducunt Creſpetius *in ſumma*, *verbo Beneficio renuntians*; Antonius Auguſt. *in epit. l. 15. tit. 5.* Illuſtrant ultra congeſtos a Barboſa in præſenti, *lib. 3. juris eccleſiaſt. cap. 15.* Vighellius *in method. juris can. pag. 303.* Robertus *l. 3. rerum judic. c. 2.* Petrus Gregorius *de benef. c. 28.* & *l. 1. part. tit. 28. c. 8.* Corraſius *de beneficiis c. 8.* Rufin. *l. 3. conſtit. ti. 11. c. 14.* Valenzuela *t. 1. conſil. 32.* Solorzanus *l. 3. pol. c. 7.* & *l. 4. c. 13.* Spino *in repetit. ad hunc textum*, Rouſſelius *l. 1. c. 4. n. 10.* Arellano *l. 1. antimon. 7.* Dartis *de beneficiis*, *c. de renuntiatione*, Valenſis *eod. tract. l. 2. tit. 17.* Quintanadvennas *lib. 2. de Eccleſiaſt. num. 10.*

3 Ratio dubitandi. Sed hæc aſſertio impugnatur ſequentibus difficultatibus. Prima, nam taciti, & expreſſi idem judicium eſt, *l. cum quid*, *ff. de rebus creditis*, *l. ult. ff. de leg. 2. l. item quia*, *ff. de pactis*, *l. ult. Cod. qui bonis cedere*: plures congerit Barboſa *axiom. 218.* ſed beneficiarius poteſt tacite beneficio renuntiare, aut aliud incompatibile acceptando, *c. ex parte 8. de clericis non reſiden. de multa 28. de præbendis*; aut religionem ingrediendo, *c. licet*, *de regul.* aut matrimonium contrahendo, *c. de clericis conjugatis*: ergo & expreſſe renuntiare valet. Secunda ex eo naſcitur: Si beneficium abſque ſuperioris licentia renuntiari non poſſet, renuntiatio aliter celebrata effectum non obtineret, nec beneficium vacaret per renuntiationem; quia actus contra juris diſpoſitionem celebratus nullus eſt, *c. in nemine*, *de teſtibus*, *l. non dubium*, *C. de legibus*: imo nec nomen actus meretur, *l. ſicut*, *ff. de operis libertorum*, *l. ſtatutis*, *C. de ſententiis ex periculo*: docet, & in hac ſpecie plura in praxi notabilia deducit Valenzuela *d. conſilio 32. per totum*: ſed renuntiatio beneficii abſque ſuperioris licentia facta vires obtinet, ita ut per eam beneficium vacare dicatur, *c. quod in dubiis*, *hoc tit.* igitur abſque Epiſcopi licentia beneficiarius beneficio ſuo valide renuntiare poteſt. Tertia difficultas inſurgit ex eo, nam Pontificatus beneficium eſt, *c. 2. de maledicis*, ubi omnes claſſici notarunt: ſed R. Pontifex poteſt libere Pontificatum renuntiare, nulla Concilii generalis, aut alterius expectata licentia, ut exemplis illuſtrant Hier. Gonzalez *ad reg. 8. Canc. gloſſa 5. proœmiali*, *§. 5. n. 20.* & expreſſe declaratum fuit *in c. 1. hoc tit. l. 6.* quam conſtitutionem non edidit Bonifacius, quaſi de ſua electione parum ſecurus, ad approbandam Cæleſtini renuntiationem, ut Michael Rouſſelius, *l. 1. hiſt. juriſd. Pontif. c. 4. n. 10.* & alii nonnulli nimis irreverenter erga Pontificem, qui celator jurium Eccleſiæ appellatur a S. Antonino *par. 1. c. 8. §. 1. pag. 20.* voluerunt. Imo Cæleſtinus ipſe cum aſſenſu Cardinalium illam fecit, etſi eam publicaverit Bonifacius, ut referunt Abraham Bzovius, Spondanus, Odoricus Raynaldus *in annal. eccleſiaſt. an. 1294. & 1303.* igitur quia ad renuntiandum beneficium non deſideratur ſuperioris licentia.

Quibus difficultatibus minime obſtantibus vera eſt præſens aſſertio, pro cujus expoſitione ſciendum eſt, renuntiationem 4 Renuntiatio duplex eſt. dupliciter fieri poſſe, pure videlicet, & conditionaliter: pure abſolute; conditionaliter in favorem alicujus. Renuntiationem puram, & abſolutam dicimus, quæ ex mera liberalitate, & abſque ullo pacto fit in manibus ſuperioris, de qua in hoc textu: conditionalem appellamus, quæ in favorem certæ perſonæ, & ſub aliqua conditione celebratur. De utraque late egerunt Flaminius Pariſius *de reſignatione*, *per integrum librum*, Rebuffus *in praxi*, *tit. de renuntiatione*, expreſſe Petrus Greg. *de beneficiis c. 28.* Garcia *eod. tr. p. 11. c. 3.* Valenſis *de beneficiis l. 3. tit. 27.* Differt pura a conditionali in eo, quod per puram renuntiationem ſtatim ac facta eſt, beneficiarius amittit omne jus quod habebat, *c. 2. hoc ti. Clem. un. eod. tit.* etiam poſſeſſionem, tam naturalem, quam civilem. Flaminius *ubi ſupra*, *l. 1. q. 3. n. 7.* etiamſi renuntiatio non ſit admiſſa, *c. tua nos*, *de ſimonia*, *c. cum pridem*, *de pactis*: at vero conditionalis non niſi adimpleta conditione effectum obtinet, quia cum conditio formam importet, adimpleri debet in ſpecifica forma, *l. M. ins*, *lib. qui heredi*, *ff. de condit. & demonſtrat.* plura Bruſelius *de condit. tit. de condit. implen. n. 3.* Etiam differunt juxta aliquorum ſententiam in eo, quod renuntiatio pura poteſt coram Ordinario fieri,

BIBLIOTECA CENTRAL

fieri, conditionalis vero tantum coram R. Pontifice: licet contrarium, videlicet renuntiationem, tam puram, quam conditionalem, coram Ordinario fieri poſſe, ſi perſona in cujus favorem fit, idonea ſit, defendant Soto *l. 9. de juſtitia*, *q. 7. ar. 2.* Covarr. *l. 1. var. c. 5. n. 5.* Nicolaus Boerius *de legato*, *qu. unica*, *n. 115.* Duarenus *l. 8. de ſacris Eccl. c. 2.* alii congeſti a Barboſa *d. c. 15. n. 49.* Moventur ſequentibus fundamentis. Primum eſt, quia per renuntiationem legitime factam beneficium abſolute vacat, *c. 3. hoc tit.* igitur poteſt Epiſcopus illud conferre perſonæ illi, in cujus favorem reſignatum eſt. Secundum renuntiatio, quæ fit ex cauſa permutationis, conditionalis, & expreſſa eſt in favorem tertiæ perſonæ, in eaque adjicitur clauſula illa, *Non aliter*, *alias*, *nec alio modo*. Clement. unica, *hoc tit.* ſed talis renuntiatio valide fit coram Ordinario, *c. ad quæſtionis*, *c. cum univerſorum*, *c. finali*, *de rerum permut.* docent Covarr. ubi ſupra, *diſt. c. 5.* Barboſa, *ubi proxime*, *num. 52.* igitur ſimiliter renuntiatio conditionalis in manibus Ordinarii fieri valet.

5 Negativa ſententia amplectitur. Sed primam ſententiam, videlicet renuntiationem conditionalem coram Ordinario fieri non poſſe, neque collationem ex ea ſecutam, tamquam ſacris canonibus contrariam, valere defendunt Felinus, Pariſius, Rebuffus, Navarrus, quos laudat, & ſequitur Spino *in noſtra rubrica*, *n. 19.* Bonacina, Caſſadorus, & congeſti a Barboſa *ubi ſupra*, *n. 52.* Valenſis *de beneficiis l. 3. tit. 27.* quæ ſententia ex ſequentibus probatur. Primo, nam omnis pactio, vel conventio in beneficiis coram Ordinario, redolet & continet ſimoniam, *c. quam Pio 1. quæſt. 2. c. cum pridem*, *c. finali*, *de pactis*, *c. ex parte*, & ibi Gloſſa, *de off. delegati*: ſed renuntiatio conditionalis ut beneficium conferatur certæ perſonæ, continet pactionem, cum duorum in diem placitum conſenſum demonſtret, *l. 1. ff. de pactis*, junctis traditis ibi a Cujacio & Fabro, Duareno *l. 2. diſp. c. 8.* Roberto *l. 2. ſent. c. 19.* Coſtano *qq. juris c. 8.* igitur renuntiatio aliter quam coram R. Pontifice, qui omnem ſimoniæ labem tollere poteſt, fieri non valet. Deinde, nam renuntiatio beneficii libere fieri debet, *c. dilecto 25.* ibi: *Liberaliter reſignavit*; *de præbendis*, *c. ex parte*, *de off. deleg.* ſed renuntiatio conditionalis libera non eſt; adſtringit enim collatorem ad conferendum beneficium certæ perſonæ, in cujus favorem renuntiatum eſt: igitur non poteſt fieri coram Ordinario. Facit pro hac ſententia expreſſa Pii V. conſtitutio, quæ incipit, *Antea Eccleſia*, ubi hujuſmodi reſignationes prohibuit abſolute: quare hac opinione retenta non obſtant contraria fundamenta. Non primum, nam illud procedit in renuntiatione pure, & libere facta, non vero conditionaliter; nam tunc cum renuntians beneficium cum clauſula, *non aliter &c.* intendat tantum renuntiare beneficium caſu, quo illi perſonæ conferatur, beneficium per talem renuntiationem non vacat, & ſic conferri non poteſt. Nec etiam adverſatur ſecundum fundamentum; nam permutatio fit inter duos habentes titulum ad beneficium: unde tantum mutatur locus; quare mirum non eſt, ſi coram Ordinario ex æquitate admittatur. Nec tertium fundamentum adverſatur; nam verum eſt, actionem illam eſſe ſimoniacam, quæ continet certam conventionem, videlicet ut certæ perſonæ conferatur; quæ conventio in noſtro caſu datur, ſiquidem alter renuntians non dimitteret beneficium, niſi ut conferretur certæ perſonæ: unde ratione hujus conventionis renuntiatio ſacris canonibus adverſatur.

6 Ratio decidendi. Manet ergo, renuntiationem beneficii pure, & libere fieri debere coram proprio Epiſcopo: conditionalem vero non aliter admitti, quam factam coram R. Pontifice; & tunc beneficium non vacare per renuntiationem, niſi illud conferatur perſonæ in renuntiatione deſignatæ; non enim aliter qui renuntiat, abdicare intendit jus ſuum, niſi beneficium conferatur illi, in cujus favorem renuntiatum eſt: pluribus Rotæ deciſionibus firmat Barboſa *ubi ſupra n. 74.* imo etſi reſignatarius beneficium non aſſequatur, aut quia reſignationis tempore erat excommunicatus, abſens, vel alio modo impeditur: reſignans non amittit jus ſui beneficii: ſimiliter ſi reſignavit ut certa penſio ſibi reſervetur, & non ſit reſervata, non amittit beneficium. Flaminius *de reſign. l. 1. q. 4.* Barboſa *d. c. 15. n. 82.* qui plura in praxi notabilia exinde deducit; quibus ſuppoſitis noſtræ deciſionis ratio ex eo provenit, nam cum clericus ad titulum beneficii ordinatus, adſcriptus & mancipatus ſit certæ Eccleſiæ, *c. 2. c. cum ſecundum*, *de præb.* in ea debet perpetuo manere, *c. ſanctorum*, *70. d. c. clericus*, *21. q. 1.* ſicut apud Romanos glebæ adſcriptus a fundo recedere non valebat, *l. defenſionis*, *C. de jure fiſci*, *l. 10. l. cum ſatis*, *C. de agricolis*, *l. 11. l. ſcriptura*, *C. qui potiores*. Accedit, nam nihil tam naturale eſt, quam eo genere quidquid diſſolvi, quo colligatum eſt, *reg. 1. de reg. juris*: ſed ſine inſtitutione & collatione Ordinarii beneficium eccleſiaſticum obtineri non poteſt, *c. 1. de leg. jur. in 6. c. ex frequentibus*, *de inſt.* igitur nec illud deſerere licet abſque proprii Ordinarii licentia: unde in noſtro textu recte conjunguntur prohibitio non admittendi beneficium abſque Epiſcopi inſtitutione; & non dimittendi illud abſque ejus licentia. Alia etiam pro hujus deciſivæ rationis fundamentis adduci poſſunt ex his, quæ diximus *in c. 2. de transl. Epiſc.*

7 Diſſolvuntur difficultates. Nec difficultates ſupra adductæ obſtant: Non prima, nam inter alias exceptiones, quas patitur axioma illud, *Taciti & expreſſi idem eſt judicium*; præcipua eſt in rebus a jure prohibitis, in quibus tacitum non operatur idem ac expreſſum, ut docent Tuſchus *lit. T. concl. 7. n. 39.* Barboſa *axiom. 218.* unde licet expreſſa renuntiatio abſque ſuperioris licentia facta prohibita ſit, non ideo renuntiatio tacita vetita cenſetur. Cavendum tamen eſt a Petro Gregorio *de beneficiis c. 8.* Rebuffo *in praxi tit. de tacita renunt.* qui caſus ſupra in prima difficultate adductos de renuntiatione tacita accipiunt, cum in illis caſibus beneficium non vacet ob beneficiarii renuntiationem, ſed ob privationem a jure in illis inductam, ob quam nulla intercedente beneficiarii renuntiatione, vacatio beneficii inducitur: verus autem caſus tacitæ renuntiationis proponitur *in c. ex ore*, *de his quæ fiunt a majori parte*. Nec ſecunda difficultas adverſatur, cui ſatisfaciunt Abbas *in d. c. quod in dubiis*, *n. 8.* Baldus *n. 2.* Immola *n. 12.* Flaminius *l. 7. de reſignat. q. 1.* Valenſis *d. tit. 17.* qui exiſtimant renuntiationem ſine licentia ſuperioris factam valere in præjudicium renuntiantis, non vero ſuperioris, & ſic in textu *in d. c. quod in dubiis*, valere renuntiationem quoad præjudicium illius, qui renuntiavit, non vero Eccleſiæ, ſeu ſuperioris, cujus licentia deſiderabatur. Sed hanc diſtinctionem refellit Luna *l. 1. antim. 7.* & facile ea convincitur *ex c. non oportet*, ibi: *Hoc factum prorſus irritum denuntiatur*: & *c. placuit 7. q. 1.* Rectius ergo dicendum eſt, *in d. c. quod in dubiis*, beneficium renuntiatum in manibus laici, non tam virtute renuntiationis, quam in pœnam vacaſſe; quia ex eo, quod in manibus laici renuntiavit beneficium, grave crimen commiſit, cum tot juris canonici ſanctionibus, legibuſque prohibitum ſit, ne liceat beneficia accipere a laicis, aut in eorum manibus renuntiare, ut probavimus *in c. quiſquis 43. de elect.* ideo ergo in pœnam illius delicti renuntians privatur ipſo beneficio, ut conſtat ex illis verbis, *beneficio ſpirituali*. Ita illum accipiunt, & exponunt Gironius *in hoc ti.* Covar. *l. 1. var. c. 5. n. 6.* Luna ubi ſupra: licet aliter eum interpretetur Barb. *d. c. 15. juris eccl. n. 17.* Nec tandem obſtat tertia difficultas; nam R. Pontifex poteſt renuntiare Pontificatui propria auctoritate, quia ſuperiorem non recognoſcit, *c. ſi Papa*, *40. d.* Nec tunc obſtat noſter textus, nam diſcrimen eſt aſſignandum inter electionem eccleſiaſticam, quæ confirmatione ſuperioris indiget; & inter illam, quæ confirmatione non eget. Primo caſu renuntiatio beneficii debet fieri in manibus ſuperioris, ex ſupra traditis: ſecundo vero caſu, cum electio non confirmatur, renuntiatio propria auctoritate fit; unde cum R. Pontifex ſtatim ac legitime a Cardinalibus electus eſt, plenitudinem poteſtatis conſequatur abſque ulla confirmatione, *c. licet 6. de el.* ubi dixi, & docent Marchinus *de origine*, *p. 2. c. 3.* Leander *eod. tr. diſp. 2. q. 3.* ideo recte *in d. c. 1. de renuntiatione*, *l. 6.* noviter deciditur R. Pontificem poſſe propria auctoritate cedere. Alia pro ejus textus interpretatione adducunt Barb. *l. 1. juris eccl. c. 2. n. 211.* Bellarminus *de R. Pontifice l. 2. c. 29.* Fragoſo *p. 2. de regimine*, *l. 1. §. 2. n. 19.* Coſtaldus *de Imperatore*, *q. 103.* Baſilius *l. 8. de matrim. c. 6. in fine*, Morla *in Emporio*, *tit. 1. qu. 4.* Similiter etiam poſſe Imperatorem libere Imperio renuntiare abſque Pontificis licentia, docuit Cujac. *l. 1. reſp. Papin. in leg. 20. ff. de offic. Præſid.*

Primo ſuperiori aſſertioni obſtat textus *in c. ſignificatum 11. de præb.* ubi proponitur præbendam clerico aſſignatam fuiſſe in certa Eccleſia, ea conditione, & lege dicta, ut eam dimittere nequiret abſque conſenſu Capituli: confirmatio hujuſmodi conditionis a Pontifice petita, & impetrata fuit, & deducitur prædictum clericum non poſſe propria auctoritate præbendam dimittere, & in aliam Eccleſiam ſe transferre; quem textum ſic expendo. En textum, ubi ob conditionem appoſitam tempore collationis, non poteſt clericus præbendam propria auctoritate dimittere: igitur ſi conditio adjecta non eſſet, poſſet propria auctoritate eam dimittere. Huic difficultati reſpondendum eſt, in eo textu conditionem appoſitam non fuiſſe, ut ſine licentia ſuperioris, hoc eſt Epiſcopi, non liceret clerico præbendam dimittere, ſed potius, ut ſine licentia Præpoſiti, & Capituli non poſſet eam dimittere, quorum licentia jure communi non deſiderabatur: quare ut ſine Capituli auctoritate non poſſet præbendæ renuntiare, neceſſaria fuit prædicta pactio. 8 Exponitur c. ſignificatum, de præbend.

Secundo refragatur textus *in c. finali de crimine falſi*; ubi cum quæſtio circa falſitatem litterarum inter duos tractaretur, unus ex illis, qui beneficium obtinebat, probationi falſitatis ſe obtulit; ita ut ſi non probaſſet litteras falſitatis vitium habere, beneficium quod habebat, amitteret. Quæſtionis fuit, utrum potuiſſet prædictus beneficiarius prædictæ privationis pœnæ ſe ſubjicere? Et reſpondit R. Pontifex, quod cum cuilibet liceat renuntiare juri ſuo, prædicta renuntiatio vires habeat. Ex quibus ultimis verbis deducitur, cuilibet ſacerdoti licere renuntiare proprio beneficio, ex illa generali regula, *Cuicumque renuntiare licet juri ſuo*. Pro cujus difficultatis ſolutione ſciendum eſt, Rodericum ſacerdotem in eo textu privari beneficio non ſolum ob propriam renuntiationem privationi beneficii ſe ſupponendo, verum quia talis renuntiatio admiſſa fuit a ſuperiore: quilibet enim in judicio coram ſuo Prælato diſceptato poteſt ſub pœna privationis beneficii ſe obligare, *c. quoties 1. q. 7. c. eo*, *de conſec. d. 2. c. cum dilecti*, *§. fin. de elect.* notant omnes repetentes *in d. c. fin.* Si autem prædicta renuntiatio fiat coram alio judice, quam Prælato ſuo, non valet, ex ſupra traditis. Unde cum *in d. c. fin.* coram ſuperiore facta fuiſſet, & acceptata, ideo a R. P. clericus in ea ſpecie beneficio privatur. 9 Intelligitur c. finale de crimine falſi.

Tertio opponitur ſupradictæ aſſertioni textus *in cap. ſollicitæ 2. de reſtit. ſpol.* ubi proponitur, Honorium beneficio proprio ſpoliatum fuiſſe, & poſt ſpolium beneficio renuntiaſſe: conſuluit Epiſcopus Vvigorn. Alexandrum III. utrum prædictus H. eſſet reſtituendus ad beneficium? Et reſpondet R. Pontifex, reſtituendum eſſe; ſi poſt ſpolium renuntiavit, non vero ſi ante ſpolium. Ex quo textu deducitur, renuntiationem ſine licentia ſuperioris factam, valere; ſiquidem in eo textu nulla mentio fit licentiæ ſuperioris. Difficilis etiam redditur textus ille *ex c. accepta 3. eod. ti.* ubi in eadem ſpecie deciditur, renun- 10 Opponitur c. 2. de reſtit. ſpoliat.

[circular library stamp] ...TECA PUBLICA DE...

tiantem reſtituendum non eſſe prætextu ſpolii. Primæ difficultati reſpondendum eſt, in ea ſpecie ſupponendam eſſe licentiam ſuperioris, & cum ejus auctoritate beneficium fuiſſe renuntiatum. Pro conciliatione textus *in d. c.* 2, cum *d. c.* 3. dicendum eſt, renuntiationem factam ab ſpoliato non impedire reſtitutionem ex cauſa ſpolii; nam cum renuntiationis exceptio reſpiciat proprietatis judicium, & ſpoliatus ante omnia ſit reſtituendus, *c. ex litteris, de reſt. ſpol. l.* 1. *§. qui a me, ff de vi*, & *in c. oportet* 1. *c. prius* 3 *q.* 2. ideo *in d. c. ſolicite* 2. quia renuntiatio facta fuit poſt ſpolium, non obſtante renuntiationis exceptione reſtituitur ſpoliatus; at vero *in diſt. cap. accepta* 3. renuntiatio facta fuit ante ſpolium; unde merito reſtitutionis remedium denegatur jure directo, contra ſpolii naturam, & favorem, quia beneficiarius, qui antea renuntiaverat, non poteſt probare ſe eſſe ſpoliatum poſſeſſione, quam jam per renuntiationem amiſerat. Docet Navarrus *in d. c. accepta, oppoſit.* 9. Menochius *de recuper. remed.* 15. Valenſis *de beneficiis, d. tit.* 16.

Tandem præſenti aſſertioni adverſatur textus *in capit. ex ore* 3. *de his quæ fiunt a majori parte*, in illis verbis: *Juri ſuo renuntiaſſe videtur*. Ubi abſque ulla ſuperioris licentia renuntiatio præbendæ facta a Canonico Eccleſiæ Cathedralis vires habet: igitur quia ad renuntiationem proprii beneficii non deſideratur ſuperioris auctoritas. Cui difficultati ex ſupra traditis ſatisfaciendum eſt, diſcrimen videlicet conſtituendo inter renuntiationem tacitam, & expreſſam; ad renuntiationem enim tacitam non deſideratur ſuperioris licentia, ſecus vero ad expreſſam: unde cum textus *in diſt. cap. ex ore*, loquatur de renuntiatione tacita, ut agnovit ibi Gloſſa, *verbo Renuntiaſſe*; ideo in ea ſpecie non fuit neceſſaria ſuperioris licentia. 11 Intelligitur c. ex ore 3. de his quæ fiunt a majori.

Etiam ex ſupra traditis interpretari poſſunt textus *in cap. cum veniſſet, de conſuet. cap. eo libentius, de ſervis non ordin. cap. poſt electionem* 7. *de conceſ. preb. bap. ſi electio* 26. *de elect. lib.* 6.

C A P U T V.

a Clemens III.

SUper hoc, quod ſciſcitaris, utrum eccleſiaſtica beneficia repoſcentibus objecta ſpontanea *b* abjurationis exceptio ſine cauſſæ cognitione ſit admittenda; & an actoris, quod ſponte non renuntiavit; an rei de ſpontanea renuntiatione teſtes ſint, & probationes admittendæ? Sic experientiæ tuæ reſpondemus, quod hoc nulla ratio veriſimile reddit, ut beneficio quiſquam, etiam multis laboribus & *c* expenſis acquiſito, a quo ſuſtentari debet, ſine magna cauſa temere ſua ſponte *d* renuntiare elegerit: ideoque ſupervacuum eſſe non credimus, cauſam renuntiationis, vel reſignationis diligenter inquirere, quam ſi forte probabilem, ideſt, non vi, non metu, non oppreſſione, non interventu pecuniæ, non promiſſione exortam judex ordinarius, ſeu delegatus invenerit: & maxime ſi non intervenerit juramentum, quod vix fieri de voluntate ſpontanea propria credimus, quia juramentum ſemper fere a malo eſt, admittere, niſi replicatio canonica fuerit oppoſita, non poſtponat. Porro licet negantis factum per rerum naturam nulla ſit *e* probatio; ejus tamen, qui ſpontaneam renuntiationem negat, cum implicite, & quodammodo replicando inficietur, ſuper aſſertione ſua probationes credimus admittendas: habita nihilominus ad dignitatem opinione & relatione.

N O T Æ.

1 a CLemens III. Ita etiam legitur in ſecunda collectione, ubi *ſub hoc tit. c.* 3. reperitur textus hic; nullibi tamen exprimitur, cui Prælato reſcripſerit Pontifex, nec *in c. ſuper eo, de elect. cap. ſuper eo, de ſimonia, in eadem* 2. *collect.* ubi reperiuntur aliæ partes hujus decretalis.

2 b *Abjurationis*.) Verbo hoc abjurationis, an ſemper comprehendatur renuntiatio juramento firmata, dicemus *in cap. Abbas* 2. *de his quæ vi*, ubi commentarium hujus textus dabimus.

3 c *Ex expenſis*.) In ſtudiis, & aſſecutione beneficii factis, non vero accipienda ſunt hæc verba de aliqua pecuniæ quantita e pro acquirendo beneficio expenſa.

4 d *Renuntiare*.) Conſonant textus *in cap.* 2. *de reſtit. ſpol. c. quia veriſimile, de præſumpt.* & merito hæc præſumptio a jure inducitur, quia nemo eſt qui facile res ſuas jactet, *l. cum de indebito* 25. *verſ. Sin vero, de probat*. Cironius *ad tit. de procurat.*

5 e *Nulla ſit probatio*.) *Cap. ad noſtram, de probat.* ubi late ſententiam hanc examinabimus.

C A P U T VI.

a Cæleſtinus III.

IN præſentia noſtra, &c. *Et infra*: Licet igitur judex non ſemper ad unam ſpeciem probationis applicet mentem ſuam, ſed ex confeſſionibus, depoſitionibus, allegationibus, & aliis, quæ in ejus præſentia proponuntur, firmet animi ſui motum; & tanta ſit judicialis auctoritas, ut ſemper *b* præſumi pro ipſo debeat, donec contra ipſum aliquid legitime comprobetur: quare ſic tu contra Prædictum R. coram prædicto *c* Dulmen. & ejus conjudice nihil penitus probaviſſes, ſtandum tamen ſententiæ fuerat, niſi dictus R. eam oſtenderet irritandam. Quia tamen præter iſta conſtitit de ipſius renuntiatione ſpontanea per quaſdam Epiſcoporum litteras, & confeſſionem ipſius, nos de conſilio f. n. ei ſuper eadem Abbatia ſilentium duximus imponendum.

N O T Æ.

1 a CÆleſtinus III.) Similiter non liquet, nec ex hac, nec ex ſecunda collectione, ubi *ſub hoc tit. c. ult.* reperitur hæc deciſio, cui miſſa ſit: tantum conſtat, eſſe Cæleſtini III. ſeu Clementis III. ut *in d. c. finali* emendatur: & licet ſit ejuſdem Clementis epiſtola relata *in c. in præſentia, de ſponſalibus*: tamen illa miſſa eſt Cæſaraugustano Epiſcopo: & in hoc caſu diſceptatur caſus, qui contingit in Dulmenſi diœceſi; unde non poteſt præſens deciſio ſuppleri *ex diſt. cap. in præſentia*.

b *Præſumi debeat*.) Res enim judicata pro veritate habetur, *c. cum inter* 13. *de re judicata*; *l. ingenuum* 25. *ff. de ſtatu hominum*, *l. res judicata* 207. *ff. de reg. juris*; plura Maranta *in ſpeculo* 6. *p. tit. de ſent. n.* 119. Parladorius *l.* 2. *rerum quot. c. ult.* plures referunt Pichard. *in §.* 1. *de off. judicis*, & *in manuduct.* 2. *p. §.* Valentia *t.* 2. *illuſtrium, tr.* 2. *c.* 8. *n.* 1. Unde contra hanc juris præſumptionem non admittitur approbatio in contrarium; plures, & plura Menochius *de præſumpt. l.* 1. *præſumpt.* 61. *n.* 4. & *l.* 4. *præſumpt.* 67. *n.* 47. noſter Amaya *in apolog. pro ſtatuto noſtri celebris Collegii, n.* 44. & nos lacte tractabimus *in d. c. ad noſtram*, ubi exponemus textus *in l. penult. ff. de his qui ſunt, ſui, l. Julianus* 60. *ff. de condict. indebiti, l.* 3. *§. idem* 3. *ff. de rebus eorum, l. ſi patronus* 12. *§. ſi quis, ff. de bonis libert.*

c *Dulmenſi*.) De quo Epiſcopatu egi *in c. cauſam, de judiciis*.

C A P U T VII.

a Cæleſtinus III.

SAne dilecto filio noſtro I. Presbytero Card. tunc Ap. Sed. Legato nos meminimus injunxiſſe, ut H. Subdiaconum Canonicum in Pictavien. Eccleſia inſtituere procuraret; qui mandatis noſtris obtemperans: ibidem inſtituit in Canonicum Subdiaconum memoratum. Verum vos nec nobis, nec ipſi Cardinali reverentiam exhibentes, quod litteris ſuis de jamdicto H. idem Card. injunxit vobis, adimplere minime curaviſtis, nec etiam curationem ipſius in aliquo obſervare. Poſtmodum idem H. quorumdam veſtrum ductus conſilio, litteras ſuas vobis reddens, veſtræ miſericordiæ ſe ſubjecit: qui cum crederet apud vos miſericordiam impetraſſe, vobis ſatisfaciens in hac parte, inde damnum cogitur ſuſtinere, unde gratiam & præmium meruit reportare. Nolentes igitur, quod de ſæpedicto H. tam a prædeceſſoribus noſtris, quam a nobis inchoatum eſt, aliquatenus relinquere imperfectum, mandamus, &c. Quia vero unde miſericordiam debuit impetrare, inde cogitur diſpendium ſuſtinere: mandamus quatenus (hoc non obſtante) ipſum in fratrem & Canonicum *b* admittatis.

NOTÆ.

BIBLIOTECA CENTRAL

N O T Æ.

1 a CÆleſtinus III.) Ita etiam legitur *in c.* 1. *de major. & obed. in* 2. *collect.* & licet nec ibi, nec in præſenti referatur, cui miſſa ſit hæc deciſio, tamen facile credi poteſt, miſſam eſſe Capitulo Pictavenſi, ut ex textus littera colligitur.

2 b *Admittatis*.) Licet inter modos, quibus reſcripta finiuntur, ille præcipuus enumeretur, qui per renuntiationem eorum tacite, & expreſſe factam contingit, *cap. ad audientiam* 31. *de reſcriptis*, ubi Petrus Greg. & *li.* 1. *de reſcriptis, c.* 8. tamen in hoc textu renuntiatio gratiæ facta non fuit animo deſerendi ipſam præbendam, quam jam habebat, nec etiam privandi ſe gratia reſcripti, ſed potius ut conſequeretur gratiam ipſius Capituli: unde licet ob renuntiationem litterarum regulariter privetur quis earum commodo, tamen in præſenti non amittit jus, quod habebat ad beneficium.

C A P U T VIII.

Innocentius III. a *Nidroſien. Archiepiſcopo*.

QUod in dubiis noſtro poſtulas certificari reſcripto, ut juxta illud tuæ diſcretionis arbitrium modereris, fraternitatem tuam dignis in Domino laudibus commendamus. Sane conſuluit nos tua fraternitas, utrum altare, in quo excommunicatus divina celebrare præſumpſit, reconſecrari debeat, & an ſit communicandum excommunicato, qui quod ſtaret mandato Eccleſiæ, juratoriam præſtitit cautionem, ſed nondum abſolutionis beneficium eſt adeptus: Et ſi excommunicato communicare aliquis, & qui etiam tenentur? Quæſivit etiam, quæ pœna his fuerit injungenda, qui excommunicatis volentes communicant, vel inviti? & quid de Presbyteris ſit agendum, qui gubernant naves ad pugnam & pugnant; & his, qui alios incitant, ſed non pugnant? Ad hæc autem fraternitati tuæ taliter reſpondemus, quod nec altare, in quo excommunicatus celebrat (niſi aliud interveniat) conſecrari; nec excommunicato, licet quod ſtet mandato Eccleſiæ juramento firmarit, communicar debet, donec fuerit per Eccleſiam abſolutus, alioquin poſt juramentum non eſſet abſolutio neceſſaria. Utrum autem ſi abſolutionis beneficium non contemptus religionis, ſed articulus neceſſitatis excluſerit, tali vel ſaltem in morte communicare ſit licitum, quia minime per tuas litteras requiſiſti, ad præſens non duximus reſpondendum. Nullus autem omnino nominatim excommunicato ſcienter communicare tenetur, niſi quædam perſonæ, quæ per illud Gregorii Papæ capitulum, *Quoniam multos*, ſpecialiter excuſantur. Illi qui nominatim excommunicatis præſumptuoſe participant, præter perſonas dicto Canone denotatas, niſi ab eorum participatione commoniti forte deſtiterint, excommunicationis ſunt vinculo innodandi: ſecus autem ſi ei communicant ſcienter, qui cum participibus ſuis eſt vinculo excommunicationis innodatus; tunc enim & ipſi ſententiam excommunicationis incurrunt: Quia vero tam Sacerdotes, qui gubernant naves ad pugnam, quam qui perſonaliter exercent pugnæ conflictum, & hi, qui alios incitant ad pugnandum, omnes quidem enormiter peccant, de rigore Canonum credimus deponendos. Hi præterea, qui beneficium eccleſiaſticum ſibi collatum *b* ſponte in manum laicam reſignantes, illud denuo a *c* laico ſuſceperunt, eodem ſunt beneficio *d* ſpoliandi, licet reſignatio talium facta laico nullam obtineat firmitatem. Altare vero, in quo tabula, cui conſecrationis benedictio Pontificali miniſterio adhibetur, mota fuerit, vel enormiter fracta, debet non immerito conſecrari. Nec negamus, quin oleum non conſecratum conſecrato poſſit oleo commiſceri. Clerici autem qui excommunicati, vel ab excommunicatis ſcienter ad Ordines ſunt promoti, debent ab Ordine ſic ſuſcepto deponi. Datum apud Civitatem Caſtellam VI. Idus Octobris.

N O T Æ.

1 a NIdroſienſi.) Ita legitur in tertia collectione, *ſub hoc tit c.* 1. & in ipſo codice epiſtolarum Innocentii Coloniæ edito, *fol.* 190. ex quo integram epiſtolam reſtituo, quæ in partes diviſa extat *in c. quod in dubiis, de conſecr. Eccleſ. c. quod in dubiis, de pœnis, cap. quod in dubiis, de ſent. excomm.* Nidroſienſis Archiepiſcopalis Eccleſia eſt in Regno Norvegiæ, in Europa Septemtrionali: ejus mentio fit *in c. ſacris, de his quæ vi in c. ſacris, de ſepulturis, c. ſacris, de ſentent. excom.* & apud Innocentium III. *l.* 2. *ep.* 73.

b *Sponte*.) Alias ſi vi, aut metu renuntiatio facta eſſet, non privaretur beneficio renuntians, *c. Abbas*, ubi late dicemus, *de his quæ vi*.

c *A laico*.) Quod ſub graviſſimis pœnis jam a primis Eccleſiæ temporibus prohibitum fuiſſe, late probavi *in c. quiſquis* 43. *de electione*.

2 d *Spoliandi*.) Non quia renuntiatio abſque ſuperioris licentia facta vires obtineret, ſed in pœnam renuntiationis in manibus laici factæ, ut expoſui *in cap. admonet hoc tit.* Certum eſt autem, clericum beneficio renuntiantem in manu laici, illud non amittere, juxta tradita *in c. Admonet hoc tit.* Nam ſicut in adeptione beneficii, ultra laici patroni conſenſum deſideramus inſtitutionem Epiſcopi, ut probavimus *in c.* 9 *de jurepatron.* ita in ceſſione deſideratur ſuperioris, hoc eſt Epiſcopi inſtituentis auctoritas. Nec ſufficit patroni licentia; imo clericus in manu ejus beneficio renuntians, nihil agit, ut illud amittat, ſicut alias *nihil agere* ſignificat *in §. finitur, de uſufructu*, & apud Ulpianum *tit.* 1. docuerunt Franc. Florens, & Alteſerra *ad hunc textum* Joan. Coſta *ad hunc tit.* Nec contrarium deciditur in præſenti textu; nam in ejus ſpecie clericus, qui renuntiavit beneficium in manu laici, illo privatur non quia renuntiavit, ſed quia auſus fuit iterum illud accipere ipſius laici manu, contra ſacros Canones, quos retuli *in c. quiſquis, de elect.* Nec etiam contrarium docetur *in c. Goſtaldus* 18. *qu.* 2. Nam etiam in ejus caſu renuntiatio non fuit facta in manu Patroni laici, ſed coram advocato, ſeu defenſore Eccleſiæ, qui pro laico non habetur, ut conſtat *ex c. Salvator* 1. *qu.* 3. *c. Præterea, c. Cum autem, de jurepatr.* ubi de ejus officio agemus.

C A P U T IX.

Idem a *Eboracenſi Archiepiſcopo*.

AD ſupplicationem inſtantem ven. f. n. Archiepiſcopi *b* Raguſinen. eum a cura, & ſolicitudine, qua tenebatur, Eccleſiæ Raguſinen. duximus abſolvendum, eo videlicet, quod ibi non poterat ſecure *c* morari; & ſi acceſſum haberet ad illam, mortis ſibi periculum imminebat. *Et infra*: Ne vero idem Archiepiſcopus in vituperium miniſterii noſtri defectum in rebus temporalibus patiatur, f. t. mon. attentius, ac per A. ſ. m. quat. beneficium, quod de munificentia, & *d* liberalitate chariſſimi in Chriſto fil. n. *e* I. Regis Anglorum Illuſt. a conceſſione tua in Epiſcopatu *f* Karleoli, & Eccleſia de Malebor eſt illi collatum, ad *g* ſuſtentationem conſerves ipſius. Nos etenim de Sedis Ap. benignitate conceſſimus, ut in Epiſcopatu abſque *h* uſu pallii officium Epiſcopale valeat exercere; tibi tamquam Metropolitano reverentiam, & obedientiam impenſurus.

N O T Æ.

1 a EBoracenſi.) De hac Eccleſia Archiepiſcopali egi *in cap. inter cetera, de reſcriptis*.

2 b *Raguſinen.*) Archiepiſcopatus Raguſinenſis ſex habet Eccleſias ſuffraganeas in fine Apuliæ, ut refert Barboſa *in ſerie Epiſcopatuum, p.* 1. *de poteſt. Epiſc.*

3 c *Secure morari*.) Aut propter aeris intemperiem, aut ob perſecutionem plebis, ut *in c. quorumdam*, 74. *diſt. cap. bonæ, de elect.* quæ ſunt juſtæ cauſæ renuntiationis, *c. niſi, hoc tit.*

4 d *Liberalitate*.) In Regno enim Angliæ, ex jure regaliæ ad Regem ſpectat electio in præbendis, & beneficiis eccleſiaſticis, *c. cum inter, de conſuet.* probat Boetius Epon. *t.* 1. *qq. tit. de regalibus, n.* 10.

5 e *I.*) Joannis videlicet, qui fuit frater Richardi, & filius Henrici II. Sceptrum Anglicanum tenuit ex anno 1199. uſque ad annum 1216. Eum nemo ex Catholicis Scriptoribus laudat, propterea quod noſtro Innocentio III. in electione Archiepiſcopi Cantuarienſis maxime reſtiterit: de eo, & ejus tempore geſtis, agit Richardus Smitheus *in florib. Angliæ, c.* 7. *ſect.* 1. *fol.* 270.

f *Karleoli*.) Karleona inter Metropoles a peritioribus rerum Britannicarum Scriptoribus enumeratur. Beda *l.* 2. *hiſtoria Angliæ, c.* 2. Carolus a S. Paulo *in Geographia ſacra, pag.* 163. Poſtea ut ſuffraganea Eboracenſi Eccleſiæ paruit. In eadem Metropoli eſt Eccleſia de Mailros, quo modo legendum eſt in præſenti, non *Malebor*, ut conſtat ex D. Bernardo *in vita Malachiæ, c.* 10. Ejus mentio fit *in c. cum veniſſent, de inſtit.* apud Hoveden. *in Henrico primo*. Eccleſia vero, quæ in præſenti vocatur *de Malebor*, ſita eſt in diœceſi Eboracenſi, & vocatur Mailros, ut conſtat ex D. Bernardo *in vita Malac. c.* 10. & Beda *l.* 3. *hiſt. c.* 26. ibi: „ Porro fratribus, qui in „ Lindisfarnenſi Eccleſia, Scotis abeuntibus, remanere maluerunt, Præpoſitus eſt Abbatis jure vir Reverendiſſimus, „ 6

„ ac